




# DE THERMIS CAROLINIS TRACTATVS EDITVS

A

D. VVENCESLAO PAYER, de Cubito &c. Philos. & Medicina Doctore, &c.



CUI

Adjunctæ sunt ejusdem argumenti clarissimorum quorundam Medicorum

EPISTOLÆ

à

D. MICHAELE REVDENIO, Philosopho & Medico Schlackovvaldensi PUBLICATÆ.

Accessit

Ejusdem D. REUDENII judicium de Novo Gummi Purgante, ad D. Iohan-Adamum Schvvartzium Medicum Vinariensem.





LIPSIÆ

Imprimebat LAURENTIUS COBER.

Impensis THOMÆ SCHURERI Bibliop.

Anno M. DC. XIV.



*Reverendis, Doctissimis, ac præstantissimis Viris:*

Dn. SIGISMUNDO SCHERERTZIO, Pastori vigilantissimo &c.

AC

Dn. GEORGIO MATTHÆI Notario Cæsareo, & Archigrammateo consultissimo &c.

*Ecclesiæ ac Reipublicæ in Thermis Carolinis Luminibus atq; columinibus, Amicis intimis &c.*

Memoriæ excitamentum Offert

Michaël Reudenius, Phil. & Med. D.







# LECTORI candido S.



IENNIUM pæne se circumegit, Candide Lector, quod observationes meas Carolinas, perbreves illas quidem, typis descriptas edidi. Eæ à diversis diversimodè acceptæ. Nonnulli viri clari, & docti placuisse sibi institutum meum, ore pariter, atque calamo testati sunt. At aliter censuit quidam Aristarchus; qui homo, si, quantum ostentationis vanæ ingerit, tantum artis & industriæ solidæ in cerebro haberet, ac animositatis gereret in pectore; næ ille Æsculapio, quem sapiens vetustas aurea, promissaq; barba ornatum pinxit, se æquaret non tantùm, verùm quoque præferret. Actus furiis nescio quibus hinc inde apud simpliciores, eruditionis meæ & experientiæ multa diligentia ac studio (absit arrogantia) comparatæ famam infusca-

re conatus est, me absente. Provocatus autem à me aliquoties, certamen semper detrectavit, nec vnquam mecum, uti virum sincerum, & Medicum rationalem decet, præsentibus literatis, congredi voluit, fortè non potuit. Non adquiescens in maledictis effusis, ita in me ulterius exarsit, ut & sanitatem à DEO hactenus concessam se mihi invidere, coram viro Nobilissimo, non obscurè præ se tulerit; & apud politicum Magistratum, futilibus tricis apinisq; in medium prolatis, me accusarit. In ea accusatione virulenta, cujus aciem ita retudi, ut hactenus anni integri decursu nullam responsionem viderim, observatiunculas meas famosum vocat libellum, & centonem ex aliis collectum, descriptumq;. Vt igitur, candide Lector, videas, quam falsa sint, quibus me onerat, crimina homo invidus; hunc de Thermis tractatum Medici quondam doctissimi in publicum emitto, cum clarissimorum quoque virorum, D. Fabiani Sommeri, & D. Pansæ Physici Annæbergensis, amici mei scri-
ptis

ptis conferendum. Eſt & alia, quæ editionem promovit, cauſſa, nimirùm quorundam hominum importunitas, & invidiæ ac avaritiæ ſimilis ambitio; qui ſuem nunquam ſatis laudare ſe poſſe opinantur, niſi è contrario contemnant Minervam. Bellatuli profectò, ac ſoli, ſi Diis placet, oculati, & auriti! Mirum accuſare Carolinarum Thermarum fervorem, & mineras canalibus adhærentes, ac fortè vereri, ne ventriculus, ac inteſtina comburantur, aut lapideſcant. Mirius Acidulas ad potum, Thermas ad inſeſſum ſolùm à natura comparatas proclamare. Miriſſimum (inſolenti verbo inſolens objectio notanda) medicamentum generoſum de compacto infamare velle, quod ejus uſu non omnes morbi profligentur, & humano generi procuretur immortalitas. Refutarem has nugas, niſi omnes ſano judicio præditos nimis plebejas inſtantias, & craſſas abſurditates manibus ultrò palpaturos certò confiderem, atq; hunc laborem mihi levaſſet noſter Auctor, Summerus, & alii.

Intereà cum benè abjecerunt, & contemserunt per Thermas institutas multorum difficilium morborum sanationes, metuunt, ne ægroti huc confluant, & precibus monitisque, imò & mendaciis in vulgus per tenebriones lucelli cupidos sparsis, eos avocant, & abducunt. Quid timent in posterum, si insalubres deprehensæ? Si auxerunt potius ægritudines, &, uti ogganniunt ad inferos bibentes præcipitârunt? Blenni & blitei scilicet fuerunt hactenus omnes, & sine monitoribus tam nasutis ignorarunt, quid distarent æra lupinis. Patrum memoria famosissimæ erant Acidulæ Spigelbergenses in VVestphalia, ut non è Germania tantùm, verùm quoque è Gallia, Italia, Sicilia ad eas ægroti innumerabiles proficiscerentur, Medicorum ibidem pecuniosam praxin exercentium ampullis, & sesquipedalibus verbis fidem habentes. Postquam verò se miserè deceptos senserunt, tantæ celebritatis fons, (qui tamen medicatis viribus non omninò caret) versus est in fabulam

lam & risum, ac pro Heilbrunnen der Gauchbrunnen indigetatus contemnitur, teste Clarissimo Tabernæmontano in Thesauro Aquarum mineralium parte 1. cap. 58. Similem exitum habuit aqua nova in Misnia ante paucos annos inventa; de qua rumorem passim in aëre volitantem disjecerunt iidem, qui perflant omnia, venti. Cur idem fatum non manet Carolinas? Genium meliorem nactæ sunt, easque DEUS, pro sua in mortales benignitate, tanquam singulare naturæ miraculum, tantis viribus cumulavit, ut propter innumeras admirabiles ac stupendas sanationes, non ab aliquot annis, sed seculis fuerint doctissimorum ac fide dignissimorum Medicorum, (testis ex parte erit hic libellus) præconiis celebratæ. Augent famam celeberrimam, & usum commodiorem ac salubriorem reddunt Acidulæ tàm vicinæ Buchenses, quàm alteræ non longè ab oppido scaturientes, quæ, si methodicè in curanda melancholia hypochondriaca, renum impuritate, viscerum intem-

periè calida, & obſtructionibus contumacibus reſerandis, aliiſque adfectibus adhibeantur, paucis in ſuo genere ſunt poſtponendæ. Hæ licet ad tempus ex incuria incultæ jacuerint, ac ferè pro derelicto habitæ nonnullis viſæ fuerint: tamen me cum viris nobilibus ac præſtantibus quibuſdam inſtante, Senatus eas mundari, tubulo includi, & contra externas injurias optimè muniri, in peregrinorum commodum, curavit, ut multum utilitatis ad ægrotos inde rediturum eſſe, certi ſimus. Faciant igitur æmuli, dicantque quidquid velint, miſceant cœlum terræ; vigebunt, DEO clementiſſimè annuente, Carolinæ cum Acidulis ſuis, (liberè potius quàm ſuperbè vaticinantem auditis) & ad præſentes ac poſteros fructus inde dimanabit nulla verborum exaggeratione ſatis deprædicandus, illique ipſi, qui nunc limis oculis intuentur, indies experientia convicti, adprobabunt. Redeo ad auctorem, qui ſtylo ſemibarbaro utitur, proavorum noſtrorum memoria in ſcholis Germaniæ,

imò

imò Europæ, usitato, in quo, ne mentem ipsam depravasse, & auctorem ad meum sensum detorsisse viderer, aliquid mutare existimavi mihi integrum non esse. Adjeci quasdam ejusdem argumenti, Epistolas, quarum una & altera Doctorum Næviorum inter consilia Cratoniana legitur, quas hunc in hortulum transplantavi, ut curandi per Thermas nostras methodus, quam excellentissimi Medici ante me observarunt, aliquo modo, in exemplis illustribus quibusdam, innotesceret: licet omnia hic proposita probare haud queam, qua de re alibi meam proponam sententiam. Historiam cujusdam morbi rari, insolentis, & gravissimi lectu dignissimam, quæ pluribus epistolis doctissimorum virorum comprehenditur, dare hic volui, in gratiam studiosorum artis Apollineæ, integram. Et quia inter peregrinos, qui Carolinas nostras implorant, non pauci vel ficis & mariscis venereis adhuc scatent, vel stigmata ab istius monstrosæ beluæ morsu relicta circumferunt: adjeci Philosophi ac

# DE THERMIS CAROLINIS TRACTATVS EDITVS

A

*D. VVENCESLAO PAYER,*
*de Cubito &c. Philos. & Medicinæ Doctore, &c.*



CUI

Adjunctæ sunt ejusdem argumenti clarissimorum quorundam Medicorum

EPISTOLÆ

à

*D. MICHAELE REVDENIO,*
*Philosopho & Medico Schlackovvaldensi*

*PUBLICATÆ.*

*Accessit*

Ejusdem D. REUDENII judicium de Novo Gummi Purgante, ad D. Iohan-Adamum Schvvartzium Medicum Vinariensem.






LIPSIÆ

*Imprimebat LAURENTIUS COBER.*

Impensis THOMÆ SCHURERI Bibliop.

*Anno M. DC. XIV.*



*Reverendis, Doctißimis, ac præstantißimis Viris:*

Dn. SIGISMUNDO SCHERERTZIO, Pastori vigilantissimo &c.

AC

Dn. GEORGIO MATTHÆI Notario Cæsareo, & Archigrammateo consultissimo &c.

*Ecclesiæ ac Reipublicæ in Thermis Carolinis Luminibus atq; columinibus, Amicis intimis &c.*

Memoriæ excitamentum Offert

Michaël Reudenius, Phil. & Med. D.







# LECTORI candido S.



IENNIUM pæne se circumegit, Candide Lector, quod observationes meas Carolinas; perbreves illas quidem, typis descriptas edidi. Eæ à diversis diversimodè acceptæ. Nonnulli viri clari, & docti placuisse sibi institutum meum, ore pariter, atque calamo testati sunt. At aliter censuit quidam Aristarchus; qui homo, si, quantum ostentationis vanæ ingerit, tantum artis & industriæ solidæ in cerebro haberet, ac animositatis gereret in pectore; næ ille Æsculapio, quem sapiens vetustas aurea, promissaq; barba ornatum pinxit, se æquaret non tantùm, verùm quoque præferret. Actus furiis nescio quibus hinc inde apud simpliciores, eruditionis meæ & experientiæ multa diligentia ac studio (absit arrogantia) comparatæ famam infusca-

re conatus est, me absente. Provocatus autem à me aliquoties, certamen semper detrectavit, nec vnquam mecum, uti virum sincerum, & Medicum rationalem decet, præsentibus literatis, congredi voluit, fortè non potuit. Non adquiescens in maledictis effusis, ita in me ulterius exarsit, ut & sanitatem à DEO hactenus concessam se mihi invidere, coram viro Nobilissimo, non obscurè præ se tulerit; & apud politicum Magistratum, futilibus tricis apinisq; in medium prolatis, me accusarit. In ea accusatione virulenta, cujus aciem ita retudi, ut hactenus anni integri decursu nullam responsionem viderim, observatiunculas meas famosum vocat libellum, & centonem ex aliis collectum, descriptumq;. Vt igitur, candide Lector, videas, quam falsa sint, quibus me onerat, crimina homo invidus; hunc de Thermis tractatum Medici quondam doctissimi in publicum emitto, cum clarissimorum quoque virorum, D. Fabiani Sommeri, & D. Pansæ Physici Annæbergensis, amici mei scriptis

ptis conferendum. Eſt & alia, quæ editionem promovit, cauſſa, nimirùm quorundam hominum importunitas, & invidiæ ac avaritiæ ſimilis ambitio; qui ſuem nunquam ſatis laudare ſe poſſe opinantur, niſi è contrario contemnant Minervam. Bellatuli profectò, ac ſoli, ſi Diis placet, oculati, & auriti! Mirum accuſare Carolinarum Thermarum fervorem, & mineras canalibus adhærentes, ac fortè vereri, ne ventriculus, ac inteſtina comburantur, aut lapideſcant. Mirius Acidulas ad potum, Thermas ad inſeſſum ſolùm à natura comparatas proclamare. Miriſſimum (inſolenti verbo inſolens objectio notanda) medicamentum generoſum de compacto infamare velle, quod ejus uſu non omnes morbi profligentur, & humano generi procuretur immortalitas. Refutarem has nugas, niſi omnes ſano judicio præditos nimis plebejas inſtantias, & craſſas abſurditates manibus ultrò palpaturos certò confiderem, atq; hunc laborem mihi levaſſet noſter Auctor, Summerus, & alii.

Intereà cum benè abjecerunt, & contemſerunt per Thermas inſtitutas multorum difficilium morborum ſanationes, metuunt, ne ægroti huc confluant, & precibus monitisque, imò & mendaciis in vulgus per tenebriones lucelli cupidos ſparſis, eos avocant, & abducunt. Quid timent in poſterum, ſi inſalubres deprehenſæ? Si auxerunt potius ægritudines; &, uti ogganniunt ad inferos bibentes præcipitârunt? Blenni & blitei ſcilicet fuerunt hactenus omnes, & ſine monitoribus tam naſutis ignorarunt, quid diſtarent æra lupinis. Patrum memoria famoſiſſimæ erant Acidulæ Spigelbergenſes in VVeſtphalia, ut non è Germania tantùm, verùm quoque è Gallia, Italia, Sicilia ad eas ægroti innumerabiles proficiſcerentur, Medicorum ibidem pecunioſam praxin exercentium ampullis, & ſeſquipedalibus verbis fidem habentes. Poſtquam verò ſe miſerè deceptos ſenſerunt, tantæ celebritatis fons, (qui tamen medicatis viribus non omninò caret) verſus eſt in fabu-

lam

lam & risum, ac pro Heilbrunnen der Gauchbrunnen indigetatus contemnitur, teste Clarissimo Tabernæmontano in Thesauro Aquarum mineralium parte 1. cap. 58. Similem exitum habuit aqua nova in Misnia ante paucos annos inventa; de qua rumorem passim in aëre volitantem disjecerunt iidem, qui perflant omnia, venti. Cur idem fatum non manet Carolinas? Genium meliorem nactæ sunt, easque DEUS, pro sua in mortales benignitate, tanquam singulare naturæ miraculum, tantis viribus cumulavit, ut propter innumeras admirabiles ac stupendas sanationes, non ab aliquot annis, sed seculis fuerint doctissimorum ac fide dignissimorum Medicorum, (testis ex parte erit hic libellus) præconiis celebratæ. Augent famam celeberrimam, & usum commodiorem ac salubriorem reddunt Acidulæ tàm vicinæ Buchenses, quàm alteræ non longè ab oppido scaturientes, quæ, si methodicè in curanda melancholia hypochondriaca, renum impuritate, viscerum intem-

periè calida, & obstructionibus contumacibus reserandis, aliisque adfectibus adhibeantur, paucis in suo genere sunt postponendæ. Hæ licet ad tempus ex incuria incultæ jacuerint, ac ferè pro derelicto habitæ nonnullis visæ fuerint: tamen me cum viris nobilibus ac præstantibus quibusdam instante, Senatus eas mundari, tubulo includi, & contra externas injurias optimè muniri, in peregrinorum commodum, curavit, ut multum utilitatis ad ægrotos inde rediturum esse, certi simus. Faciant igitur æmuli, dicantque quidquid velint, misceant cœlum terræ; vigebunt, DEO clementissimè annuente, Carolinæ cum Acidulis suis, (liberè potius quàm superbè vaticinantem auditis) & ad præsentes ac posteros fructus inde dimanabit nulla verborum exaggeratione satis deprædicandus, illique ipsi, qui nunc limis oculis intuentur, indies experientia convicti, adprobabunt. Redeo ad auctorem, qui stylo semibarbaro utitur, proavorum nostrorum memoria in scholis Germaniæ,

imò

imò Europæ, ufitato, in quo, ne mentem ipfam depravaffe, & auctorem ad meum fenfum detorfiffe viderer, aliquid mutare exiftimavi mihi integrum non effe. Adjeci quafdam ejufdem argumenti, Epiftolas, quarum una & altera Doctorum Næviorum inter confilia Cratoniana legitur, quas hunc in hortulum tranfplantavi, ut curandi per Thermas noftras methodus, quam excellentiffimi Medici ante me obfervarunt, aliquo modo, in exemplis illuftribus quibufdam, innotefceret: licet omnia hic propofita probare haud queam, qua de re alibi meam proponam fententiam. Hiftoriam cujufdam morbi rari, infolentis, & graviffimi lectu digniffimam, quæ pluribus epiftolis doctiffimorum virorum comprehenditur, dare hic volui, in gratiam ftudioforum artis Apollineæ, integram. Et quia inter peregrinos, qui Carolinas noftras implorant, non pauci vel ficis & marifcis venereis adhuc fcatent, vel ftigmata ab iftius monftrofæ beluæ morfu relicta circumferunt: adjeci Philofophi ac

Medici Excellentissimi D. Zachariæ Brendelii in Academia Ienensi Professoris, Præceptoris mei nunquam non suspiciendi, de Thermarum in lue Gallica contaminatis usu, Iudicium, quod à me obnixè exoratus consignavit. Quò viro nemo, nisi valdè fallor, magis scopum tetigit, sagitta certiore. Nam & harum naturæ atque effectuum gnarus est quàm qui maximè; seque quondam, morbo gravissimo ac pœnè lethali feliciter superato, earum potissimum, postquam à DEO discessum fuerit, auxilio sanitatem recuperasse, libenter fatetur.

In adversariis meis plura hujus generis reservantur, quæ, cum propius ad me spectent, ea selectis epistolis meis medicinalibus inserta, alius libellus fortè capiet. Quod si Aristarchus meus (plures enim uno me habere non credo) hoc vel illud notabit, & pro more, clam me, criminationes aniles in vulgus sparget, non multum curabo, aut adtendam. Iamdiu enim morbum hunc, aut teneritudinem animi deposui, ad singula hominum

num invidorum aut plebejorum iniqua, & puerilia judicia, concuti, aut commoveri. Interim candide Lector, his fruere & vale. Schlackovvaldæ 17. Aprilis Anno 1613.

*Michaël Reudenius,*
*Philos. & Med. Doctor. &c.*



Gene-

# GENEROSO AC MAGNIFICO DOMINO, DOMINO STEPHANO Schlick / Comiti in Passan / Domino in Weißkirchen / Elbogen & Schlackenwerdt / &c. Domino suo plurimùm gratioso, VVENCESLAUS PAYER de Elbogen artium & Medicinæ Doctor

*Post humiliatas obsequiorum oblationes,*

S. D.

*CVm in studiis Italicis, optimè ac sapientißimè Comes, cum magnis expensis & vitæ periculo versarer, frequenter observavi, qua diligentia, quibus honoribus, Italici medici in toto orbe præstantiores, sua extollebant balnea naturalia, intellexi ac vidi, quod tantùm illis tribuebant, ut morbos, quos alioqui curare suis diutinis experimentis non valebant, solo usu thermarum, tollendos arbitrati sint, & id sapienter pro morborum diversitate, & balneorum ad varios morbos proprietate. Aliud quippe balneum laboranti cerebri vehementi humidita-*

*ditate, aliud hydropico, item aliud calculoſo, podagrico, ſcabioſo convenit. Quæ omnia medicus ſolers, prudens ac expertus habet perpendere, nam ſicut in bello induſtria victoriam, ſic medicina ſanitatem efficit. Hinc rectè Divus Hieronymus dixit, Medicina non ſpernenda, quæ uſu conſtet & experientia, quia & hanc* Deus *fecit, &c. Vides quod experientia & induſtria medicum efficiunt, & his duobus medicina ornata, omnibus artibus & ſtudiis fructuoſior eſt ſcientia, absq; his medicina eſt delirium. Id ego mecum animadvertens, per vacationes ſtudiorum Italicorum, me ad thermas contuli, non ob alium finem, niſi ut quandoq; patriæ meæ balneum divinum, & nulli ex Italicis ſecundum, pro meritis ſuis exornarem, & quaſi buccinator decantarem, atq; illarum uſui, ſalubriori quàm antea uſui conſulerem. Et certè paucas novi thermas, præter eas quæ Neapoli, & poſt Neapolim ſunt, quas non adierim, quas nominatim non referam, ne laudes meas, non incepta ſcribere videar. Nam teſte conſcientia, amor patriæ, abuſus thermarum in variis ægritudinibus, & regimen corruptum balnean-*

*balneantium, me ad scribendum impulerunt. Sed cui hunc meum laborem dicarem, tu sapientissime ac Generose Comes, occurrebas; cum propter liberalitatem tuam in me: tum maximè, quod es ex nobilissima familia Schlickorum nulli secundus, quæ in plurimos annos strenuè ac magnificè patriæ meæ* Elbogen/Schlackenwerdt/ *Thermis ipsis, & pluribus locis imperavit. Et nominatim hodie fæliciter cum fratribus in valle S. Ioachimi qui locus, sine mea commendatione, est commendatissimus, celeberrimus, & argento supra omnem opinionem locupletissimus, omnia benè regis & imperas. Sæpe mecum consideravi cujus meritis tanta fælicitas tibi contigisset. Sed postquam tuæ dominationis familiaritate in paucos dies utebar, cessavit omnis admiratio: tot virtutes in te uno reperi, sive ad arma aspiciam, seu ad ministrationem Reip. ut credam revixisse magnificum illum & nobilissimum virum Gasparem Schlick, cujus laudes hodie in Italia maximè, item in Germania longe lateq; referuntur, quas mea sponte reticebo ne adulatorem videar agere. Virtutes ergò tuæ, merentur hanc fælicitatem*

*&*

*& longe majorem. Siquidem ex virtute fælicitas ipsa metienda est. Virtutibus tuis fidens, libentius hunc laborem subivi, & tuæ magnificæ Dominationi me & labores meos tuendos offero & dedo: Spero labores meos Tibi gratissimos & plurimis hominibus saluberrimos, Rem autem grata brevitate, Deo volente pertractabo, Et latine pertractatam materiam, curabo lingva nativa sub compendio ad usum omnium edere, quod morbi omnibus accidant, & nemo non aliquando ægrotat. Hoc nolo tuam magnificam dominationem latere, quod usus balneorum apud Romanos, & tota Italia ita gratus, ut videar in nulla re magis deliquisse antiquos Romanos, quã in hoc uno solo. Romæ hodie nihil magnificentius est videre, quàm thermarum vestigia, ut etiam in restauranda ruina thermarũ fortasse Italia deficeret, Et hodie balnea ubiq; per Italiam lupanaria facta sunt, & lupanaribus pejora propter sordidum usum aliquorum exercitiorum Thermæ tum suum habent honorem. Germania nostra, & Germaniæ loca frigidiora hodie utuntur frequentius balneo, id an bonum vel malè fiat, sitq; salubre nolim*

*dicere*

*dicere, sed tractatum conscribam, in quo virtutes & effectus thermarum Caroli Imperatoris quarti (sic enim nominant incolæ) in caussas resolvam, modumq́; vera administrationis ejus aperiam. Et in hoc plurimum tuæ dominationi, & medicis consulentibus, & ægrotis accedentibus ad hoc balneum proderimus. Verùm quòd ante me nullus doctorum hunc laborem subiit, hæc poterit esse caussa, quòd opinati sunt ex similitudine in hoc casu thermas procedere, contenti fuerunt priorum tractatibus, sed illos in errore esse, & fore, constanter affirmo, modo mihi concedantur principia naturæ, & maximæ propositiones in medicina. Quare quemq́; ex doctis viris amicißimè admoneo, ut cum magnificentia tua observet nostram doctrinam, quæ ubi deficit, amice corrigat, ubi utilis futura, non totum calumnietur. Arripiam hoc pacto occasionem ut gratiora edantur. Sic habes generose Comes opus tibi dicatum: cura ut defensum sit, quia tuum est, causa nempe tua est, cur & scripserim & ediderim hos nostros præmaturos fructus. Vale in Christi nomine in plurimos annos cum honestißima conjuge*

*&*

*& tota familia, ac negotia tua, ut cepisti, age sapienter, & me ama Ex Liptzik, Calendis Decembribus M. D. XXI.*



# TRACTATUS DE THERMIS PROPE Elbogen & Joachimsthal/ continet capitula septem.

# CAPITULUM PRIMUM, DE VIIS INVESTIGATIONIS THERMARUM IN COMMUNI, & de natura aquæ Thermarum Caroli IV. Imperatoris, &c.

CIRCA MINERAM, OMNIUM balneorum naturalium, si eam quis scire affectat, hoc inprimis quemq; admonitum volo, quod minera nunquam scietur, nisi per judicium de experientia, & ratione. Experientia autem habetur per id, quod apparet de minera, aut in ductu aquæ, aut in alembicatione per residentiam in cucurbita, Ratio verò sumitur juxta principis doctrinam ex illis, quæ super minera significant, videlicet ex sapore, odore, colore, & operationibus, maximè tamen ex saporibus & operationibus. Ex saporibus necessarium est præscire saporem multarum minerarum, nam ego nusquam reperi Thermas, in quibus non ad minus duæ aut tres mineræ fuerint commixtæ in saporibus, Ex operationibus, quia

quia operationes, virtutes primas, secundas ipsius mineræ & tertias si habent demonstrant. Sunt qui illis quartas tribuunt, quemadmodum pleriq; faciunt describentes naturam aquæ Porretæ. Sed quia in hoc sunt opiniones, & quartæ virtutes non possunt virtutibus elementorum, ut priores substantialiter attribui, inde, de quarta virtute non credo judicium sumendum esse de naturis minerarum. Nisi de sola ac certa experientia. Thermas autem virtutes habere tertias nemo dubitat, nisi is qui sit æquivocè medicus. Iuxta hanc viam dico pro opinione nostra, non spernendo judicium melius sentientium, quod mineræ thermarum nostrarum sunt duæ principaliores, Baurach & alumen sulphure participans. Et accipio hic Baurach ut cum nitro & sale convenit. Et si quid de calce habeat, id certè nunquam per prædictas vias experiri potui. Probabilius mihi videtur, quod ferro participet propter loca vicina, in quibus magna quantitas ferri reperitur, & aquæ ferratæ, quæ in pro-

pinquo actu frigidæ reperiuntur continuo scaturientes, & ob alias causas quæ dicentur. Et ex viro fide digno habui, quod sulphur teneat, quia fecit exsiccationem aquæ ad solem. Et illum modum propter certas causas commendabat supra alembicatione. Si quis ergo vult, experiatur illo vel altero modo rem ut diximus, inveniet, nec in expertus rationē habere potest contradicendi, sensus siquidē exterioris certitudo petenda,

# CAPITVLVM SECVNDVM, DE PROBATIONIBVS DICTORVM in primo capitulo.

INPRIMIS PROBATVR QVOD sit aluminosa prædicta aqua, quia stomachum confortat & appetitum excitat. Quæ operationes maximè inter mineras alumini attribuuntur. Item per alembicationem si aqua sumitur in competenti quantitate, reperitur notabilis quantitas aluminis. Et juxta originem istius

istius aquæ vides distinctissimè quantitatem aluminis. Quod autem natura ejus sit Baurachia pro ut Baurach communiter sumitur. Nam sic Baurach juxta doctrinam autorum à sale & nitro non multũ distinguitur. Et sic procedit probatio nostra, pro ut illa tria inter se conveniunt. Probatur ergo per experientiam quoniam per alembicationem apparet sal, similiter in ductu aquæ, & prope originem, & in cannis per quas ad loca determinata defertur, ergo minera illius aquæ tenet vel Baurach nitrum vel sal. Ratione autem probatur, quoniam sapor ejus salsus est. Similiter sicut ab incolis edoctus sum, solvit ventrem abstergendo & mundando, quæ operationes sunt Baurach nitri vel salis.

Dixi notanter, quod prædicta tria debent sumi communiter, prout in operationibus prædictis conveniunt. Sed propriè loquendo difficultas, quam tenebit principalius ex tribus mineris. Mihi videtur quod ex tribus prædictis magis teneat de Baurach, quia sal albus est,





Baurach autem similiter nitrum habet cum albedine sua aliquid rubedinis admixtum, vel saltem obscuritatis, & sic visus demonstrat veritatem nostræ opinionis. Nam cum illa aqua lapidatur, sicut vides prope originem ejus, apparent notabiles lineæ cum rubedine. Item Baurach habet acutiorem saporem, & magis corrodit quàm sal, prædicta autem aqua in paucis diebus apertione & corrosione procedit, sicut dicemus in usu illius aquæ. Quod sulphurea indicat odor, qui est multum fœtidus,& certè magis,quàm circa Thermas vel Italiæ vel Germaniæ percipere potui. Viterbii unum est,quod propter fætorem in abusum venit, testabuntur hoc accessuri. Alembicatio retinet sulphur, habet manifestas operationes sulphuris, quia aqua illa subtiliat & resolvit, signum operationis est cita ejus penetratio. Nam urinam provocat, ergo aperitiva venarum & epatis, addo ego quod aquæ naturales actu & potentia calidæ non possunt absolvi à sulphure; caussam facilè venatur intellectus dispositus.

Et si

Et si quis ex me vellet scire illius aquæ complexionem supra temperamentum, quod medicus asserit, humanæ naturæ, ego respondeo ex doctrina præcedentium, quod natura ejus est usq; ad tertium calida & sicca, actualem autem caliditatem majorem habet, quàm unquam vidi in Thermis.

## CAPITVLVM TERTIVM, QVIBVS ÆGRITVDINIBUS COMPETAT hoc balneum.

EX DOCTRINA PRÆCEDENTIS capituli in medicina exercitatus facilimè eliciet, quibus ægritudinibus hoc balneum conveniat, si saltem verum est quod cura ægritudinis stet in remotione caussarum efficientium. Tamen nolumus obesse malè habentibus, & plano sermone exprimere, quibus ægritudinibus capitulariter hoc balneum conveniat. Dico ergo quod per se & principaliter (intelligo autem per se non exclu-

clusionem perseitatis absolutè, sed exclusionem cujusdam excellentiæ perseitatis ab aliis videlicet, quod in ægritudinibus aliorum membrorum non maximè per se conferat, sed solum maximè in ægritudinibus membrorum naturalium) confert ægritudinibus frigidis vel humidis conjunctim vel divisim, cum materia membrorum naturalium, tàm in digerendo, quàm evacuando, quia hæc aqua evacuat ad intra superfluitates stomachi & intestinorum & mesaraicas aperit, humores grossos & viscosos maturat, subtiliando & incidendo, & eos ratione Baurach quoquo modo evacuat, abstergendo & eliquando, & ab his dependent ægritudines membrorum naturalium frigidæ vel humidæ.

Dixi ego quod principaliter membrorum naturalium morbis frigidis vel humidis convenit. Nam non nego quin cachecticis, catharro frigido, debilitati, gravitati capitis ex humiditate, & reliquis ægritudinibus, quæ cursu illarum currunt, spasmo per repletionem: Item multis

tis dispositionibus pectoris, Item podagricis convenire possit, quia evacuata bene materia antecedente à membris mandantibus, necesse esse vel moveri, vel digeri materias, ergo parum etiam evacuabit, de materia omogenea, aliorum remotiorum membrorum: nam licet non multum penetret, hæc aqua, aperitiva tamen est, & ut dixi debile solutivum, & ad hoc asserendum principis verbum me movit, qnod capitis dispositiones plerunque à stomacho ergo & nervorum dependent, contrarium autem perrarò reperitur. Quare medicus missurus in similibus dispositionibus ægrotum ad balneum hoc, diligentissimè observat canones principis de ægritudinibus capitis absolute, & cum comitate totius vel determinati membri, quia in his cura consistit. Addo quod hæc aqua ad extra dislocationibus, stupori membrorum, ulceribus summum est medicamen. Sed videndum, ne ulcera ista à Gallico morbo, vel humoribus adustis dependeant, quia si id fuerit ægrum propter

consolidationem ad pejorem lapsum du-ces, quia ad hydropisim sine dubio juxta Hippocratis doctrinam. Sicut accidit in nobili isto Barone Ioanne de Guttenstein, qui infra menses duos post consolidationem factus est Hydropicus: caveant ergo infecti Gallico morbo, ne utantur isto balneo, caveant extenuati. Ratione etiam sulphuris non potest non prodesse Astmaticis, si prævenerint tempus paroxismandi sicut de facto, hæc ægritudo paroxismalis est. Item tumori pedum ex permutatione, tàm acutarum quàm cronicarum febrium. Febrienti autem nulli opitulatur. Vndimiæ diuturnæ, mollificationi crurum, & brachiorum, podagræ senum à viscoso humore pendenti: omnibus speciebus hydropisis in principio, de confirmata hydropisi assero id quod Conciliator; quod si curari debet, fortissimis remediis curatur. Sicut Florentinus unus mirabili remedio duos curavit. Duritiei splenis, diuturnæ matricis lubricitati, mensibus albis, retentioni mensium magnificè pro-

prodest. Hæc aqua efficacissima medicina ad sterilitatem removendam, si impedimentũ est ex parte matricis. Quod autem multæ mulieres ex balneo redeunt sine juvamine, in hoc casu, causa est malus ordo, quia balneant continuo in balneo, & nunquam bibunt ex eo. Addo quod posset cum aliis remediis in brevi tempore tollere, ne in futurum accidat, illum maledictum fluxum mensium rubeorum, subitò aliàs evenientem, qui mulieribus Germaniæ frequenter, Italicis perraro evenit. Et credo quod hujus fluxus potissima caussa est, inordinatum cibi & potus regimen. Nam cum perrarò emorroidas habeant, totus inutilis ac superfluus sangvis per cottilidones ad matricem mittitur, quibus repletis prorumpit sanguis, & quandocunque principium molæ aggregat materiam plurimam, & sic mola, & sanguis cum mola exit, inducens debilitatem magnam, hic fluxus infertilibus & gracilibus mulieribus accidit. In sterilibus longè diversam teneo opinionem. Nam

non opinor ſterilibus hunc fluxum accidere, aut perrarò, ſed hoc auſim dicere ad ſterilitatem dare occaſionem, hunc fluxum horrendum. Sed quomodo albis & rubeis conveniat dicemus in una difficultate. Vltra veſicam à ſordibus mundificat, & valet hæc aqua in opilatione renum lavando & abſtergendo & aliqualiter aperiendo provocat urinam. Si in principio fortis dolor renum, non placet mihi ut detur hæc aqua, vel alia aperitiva propter canonem Avicennæ quem noverunt medici; Ex illis eliciet medicus plures ægritudines, tàm ſecundum ſpeciem, quàm ſecundum numerum, in quibus hæc aqua ad intra exhiberi poteſt. Et quando ad intra exhibetur, fiat juxta noſtrum modum exhibendi. De colica, ſtante vehementiſſimo dolore, quæ per potum cereviſiæ illius loci, & diverſis potagiis ſcilicet vino & cereviſia ſumptis accidit, hoc dico, quod medius cantharus ad intra ſumptus, ſubitò tollit dolorem. Et quando hoc fit, infra horam, ſubito exhibeas alium medium

dium cantharum, ut unà cum sedatione doloris causa removeatur. Et caveat colicus ne sedeat in balneo, quia in exitu intenditur colicus dolor, sicut in plurimis vidi accidere, in dolore renali econtrario fit. Sed hæc ad aliud capitulum pertinent.

## CAPITVLVM QVARTVM, DE PRÆPARATIONE CORPORUM AD PRÆDICTAM AQUAM: Et de tempore accedendi ad eandem.

RECTO ORDINE NUNC DICEMUS de præparatione corporum humanorum, volentium uti præfata aqua. Et sciendum inprimis, quod præparatio corporum duplex est. Vna privativa, & est abstinere se per aliquot dies, antequam hoc balneum ad intra assumat. Nam omnes errare opinor, qui eo ad extra in scabie tantum utuntur. Abstinendum ergo à nimia repletione cibi & potus, quæ mirabiliter virtutem debilitat: à nimio coitu: Item à magno labore, & maxi-

maximè cum in loco ſint, fugiant ebrietatem maledictam, ſicut abundè in capitulo de regimine vitæ dicemus. Et qui pedeſtres ad hoc balneum veniunt omninò à balneo per dies duos abſtineant. Et non, ut ſæpe vidi, ſubitò poſt ſalutatum hoſpitem balneum ingrediantur. Præparatio autem poſitiva eſt, quod purgentur corpora juxta canones principis, in libro communi, alias quarta primi, nam medicorum eſt ſententia & etiam Aver. quod ante balneorum uſum præmittenda eſt univerſalis evacuatio. Nam ſupra dictum eſt, quod licet hæc aqua ſolvat aliquo modo, non tamen elective & attrahendo, ſed magis occurſu & eliquando. Intelligo autem præmitti debere univerſalem purgationem, Si repletio totius eſt, vel capitis, vel pectoris, quia aliàs per potum iſtius aquæ poſſet moveri materia in cerebro, & facere catharrum ſuffocativum. Practicentur ergo canones, ſuper hac materia traditos per principem prima tertij in capitulo Aureo. Cum materiam &c. Et ſi non vis

dige-

digere materiam morbi, quia in remotis membris hæc aqua multarum materierum est digestiva, saltem minoretur materia. Nam in hoc errorem & multa pericula vitabis, verum remedia non scribam, quia hoc medicus novit, & inutiliter patienti ordinarem, quia abuti posset, propter debilem discretivam, quam vulgus, maxime ægroti habent. Medicus ergo per collativam suam secundum exigentiam ægroti, ante balnei omnem usum purget ægrotum. Tempus vero accedendi ad illam aquam, & tempus assumendi eandem est duplex. Vniversale est tempus, Maij, Iunij, Iulij, Augusti, Septembris propter multa, tum propter aëris temperiem, in illo loco, quia totum tempus æstatis nō ita calidum est, sicut in loco plano, tum quod per ea tempora in loco balnei omnia necessaria haberi possunt. Et illud est tempus electum pro necessitate, & similiter pro deliciis. Pleriq; accedunt tempore frigidissimo & male. Tempus particulare est, quod sumatur illa aqua ad intra post ortum solis per

unam

unam horam, qui potare volunt; qui balneum ingredi volunt, faciant id secundum quod dicemus in sequenti capitulo.

## CAPITVLVM QVINTVM, DE ORDINE ET MODO ASSUMENDI ILLAM aquam, & modo balneandi in eadem.

OBSERVATIS ILLIS, QVÆ DIcta sunt tertio & quarto capitulis, medicus præscribat patienti ordinem potationis illius aquæ. Et quia hucusq; non fuit in frequenti usu, quo ad potum, sed magis ad abluendum: ideo res apparebit multis nova. Sed novitatem hanc non animadvertet, qui doctrinam priorum capitulorum assumpserit. Si quis negaverit rem ipsam, felicius attentet.

Dixi quod hæc aqua potari debet, & quidem per horam post ortum solis potari debet circa fontem vnde ebullit, aut in vitreo vase, ad hospitium deferri & bibi, actu calida debet potari per horam post solis ortum, quia non solvit ele-

ctive,

ctive, Sed solutivum est debile, & ut sic magis lenitivum super quo somnus non competit, nisi levis medicina ex modo præparationis, acquireret fortitudinem, ut optime doctores dicunt. Primo die quo incipit potare hanc aquam, procedat hoc modo: habeat vitrum parvum capax quartæ partis canthari, pro loco isto consueti, & cum vehementi actuali caliditate illius aquæ, bibat tria talia vitra, & expectet deambulando per unam horam, postea infra horam bibat quatuor vitra, si priora non inceperint operationem, & jejunet per tres horas, quia sine dubio hæc quantitas operabitur. Quod, si per possibile infra illas tres horas non operatur, in quarta hora assumat prandium. Cibum autem & potum in sequenti capitulo dicemus, & nullo pacto dormiat. Et sic habes de quantitate continua. De quantitate discreta scias, quod procedere debes secundum quod est ægritudo. Nam aliter in ægritudinibus Chronicis, aliter in aliis procedendum est, quia in Chronicis & ægritudini-

bus longis, ego quantitatem dictam reiterarem interpolatis diebus usque ad sex vices, & semper augendo procederem in quantitate continua quousq; devenirem secundum gradus usq; ad tres cantharos, quousque viderem in mictu ita claram illam aquam, sicut assumpta fuit. In ægritudinibus verò, quæ diu non durarunt, procederem in quantitate discreta ad tres vel quatuor vices, ut dictum est interpolatis diebus procedendo eodem modo cum quantitate continua non augendo nec diminuendo Dosim à principio dictam.

Et in die quietis, in quo non das aquam, patiens sentit se lassum & fractum, & hoc est propter commotos humores, & est signum bonum futuræ salutis, & ideò patiens sibi non timeat. Et illo die quo quis aquam ad intra assumpsit, juxta doctrinam dictam, non debet ingredi balneum, propter fugiendam debilitatem, & motus contrarietatem. In die autem quietis intret balneum, ut dictum est circa ortum solis non tardando ultra

horam

horam, quia tunc si quid in venas transivit, de potata aqua, potest melius superfluitates tertiæ digestionis expellere, & faciliter fieri resolutio per applicationem illius balnei. Accedunt autem multi, qui tantum balneant, & incolæ solent dicere, si quis per tres dies vel quatuor balneaverit, faciet hæc aqua pruritum in membris, in quibus est aliqua materia retenta scabiosa, aut manifestabit ulcerationem corporis, sicut ego sæpè vidi, antequam Italiam ingrederer. Hos omnes in duobus errare reperio, Primò quidem non servant doctrinam quarti capituli, quia balneum non convenit corpori, aut membro repleto &c. Secundò materias existentes intra venas balneo extrinsecus adhibito educere volunt. Esto quod scabiosis prosit, tamen faciet id longo tempore, quod brevissimo fieret, si sapienter juxta doctrinam nostram processerint. Sed impressionem non facit in una, aut duabus balneationibus, sicut nec alia balnea naturalia. Verum est istic celebre hospitium dictum in do-

mo viduæ Creuslin, in qua domo ſcaturit hæc aqua cum una proprietate ſupra naturam communis fontis, quia in duabus, aut ad ſummum tribus balneationibus magnam facit impreſſionem, quod credo multum tenere de Baurach, aut ideò eſſe poteſt, quia majorem actualem caliditatem habet, quàm reliqua balnea, in quibus balneatur, quia à fonte in canalibus ad loca determinata ducitur illa aqua. Non conſulo ergo balneandum eſſe in dicta aqua, ſic Baurachia, niſi benè purgato corpore, & præmiſſis balneationibus, in aliis locis prædictarum Thermarum.

## CAPITULUM SEXTUM, DE REGIMINE VITÆ.

Vitæ debitum regimen in re medicationis non parvam vim habet, & conſiſtit in recta adminiſtratione ſex rerum non naturalium, ſcilicet aëris, cibi & potus, motus & quietis, ſomni & vigiliæ, inanitionis & retentionis, & acci-

denti-

dentium animæ. Hæ autem ſex res non naturales in duobus conſiſtunt, in debita qualitate, & in debita quantitate. Fundamentum ergo totius regiminis vitæ, in hoc balneo, in duobus conſiſtit, ſcilicet cavere ab illis, quæ virtutem digeſtivam debilitant, & ab his quæ opilationem faciunt, quia hæc aqua membra naturalia maximè purgat, & digeſtivam ut dictum eſt confortat; & quia aperitiva eſt, quare opilantes cibi fugiendi ſunt. Qui ergò balneant, in prædictis aquis, aut ſumunt ad intra, fugiant aërem frigidum & pluvias; & de mane videant, ne à fumo, qui iſtic eſt maximus, offendantur, placet mihi in utroq; uſu iſtius aquæ, tempus æſtatis. Cibi groſſi & fructus in tempore aſſumptionis & balneationis obmitti debent, maximè cavendum à caſeis Bohemicis antiquis, quia nihil faciunt in re nutricationis, ac eſt de numero nutrimenti groſſi, mali Chymi & pauci nutrimenti. Conveniunt ova non dura, carnes convenientes, pulli, perdices, caſtrati, Kramantvogel/ & id genus. De

piſcibus id ſentio, quia in eo loco magnus eſt uſus piſcium,& vario modo præparantur, & unus hic eſt potiſſimus modus, quod, aut cum butyro, aut cùm lardo præparant, plurima genera piſcium, maximè Lucium, hic modus apud nullum guloſum ex antiquis excogitatus eſt, ſed ſola Germanica licentia in potu & cibo id fecit. Ego magis laudarem piſces cùm oleo præparatos, ut graviſſimi medici ſcribunt. Etenim olei natura calida & humida, & uſus ejus eſt per totam Italiam; apud me ſunt in magno errore illi, qui balneum hoc accedunt, ut convaleſcant, & inordinatius regimen balneantes agunt in omni re,quam domi facerent,ac balnea iſta tanquam lupanaria reputant.

Diebus ergo illis, quo quis juxta ſuperiorem doctrinam aquam illam bibit, ſit levi prandio, & pullis & ovis contentus, ſimiliter in ſero, in die quietis auctiora ſint, & prandium & cæna.

De potu in loco Thermarum eſt maxima difficultas, nam incolæ habent cerevi-

revisiam pejorem, quam unquam degustavi. Et credo quod nulla cerevisia magis obsit renibus & vesicæ, testabuntur hoc bibentes eam. Et cerevisia Elbogensis grossa, inflativa est, caput maximè offendens. Et hodie, quam præcedenti tempore pejor præparatur. Ego si cerevisiam admittere debeo, in usu istius balnei, eligo Numbergensem, in qua sunt præstantiores virtutes, quam in aliqua cerevisia, quam ego novi, in hoc casu & usu illarum Thermarum, ita confortiva est naturalium & diuretica, & non offendens caput. Nec scio cerevisiam quæ illi comparari possit. Consulo ergo qui potentes sunt, & hoc balneum volunt accedere, ut habeant cerevisiam Numbergensem. Si hanc nolunt, admittatur Fribergensis. Sed longe est inferior in usu illius aquæ. Est genus cerevisiæ in Bohemia, quam appellant cerevisiam albam, quæ fit ex tritico; hujus usum maximè laudo, post dies assumptionis, prædictarum Thermarum: dum autem Thermæ istæ bibuntur, non pla-

cet mihi uſus ejus, propter nimiam ejus infrigidationem, niſi fortaſſe ex aliqua accidente, & vehementi ſiti, & ardore urinæ, quia tunc competit. Vina Bohemica accedunt ad ponticitatem. Similiter illa quæ in partibus Thuringiæ creſcunt, ideò minus conveniunt in vſu Thermarum. Quare ego, pro uſu omnium generum vinorum, laudo vinum Rhenenſe non fumoſum, ſed album & pauciferum. Et ſi potens fuerit tale vinum, tunc infunde in eo toſtum panem, qui debilitabit vinum & utere. Quantitas vini poſt aſſumptionem iſtius aquæ, non excedat medium cantharum, in ſero ſimiliter; ſed conſultius eſt abſtinere in ſero à vino. Si cerevifiam biberit, non excedat niſi levi exceſſu prædictam quantitatem. Si vino & cerevifia utantur patientes, placet ut vinum præaſſumatur, & cum uno hauſtu cerevifiæ vel cœna vel prandium concludatur. Et cauſam ordinis illius habes ex eo, quod aqua frigida ſupra cibos, & reliquum potum rectè aſſumitur, & quantum poſſibile eſt

le eſt patiens per tempus id, quo aquam aſſumit Thermarum, abſtineat ab uſu vini, niſi accidens aliquod vini uſum poſtulet. De motu & quiete dico, quod poſtquam quis aſſumpſit illam aquam juxta prædicta, deambulet in camera ſua, aut in ſtuba, & non quieſcat infra horam. Si in illo tempore inceperit operari aqua, non quieſcat imò continuo deambulet propter dictum Hippocratis; Cum biberit quis Helleborum ad motiones quidem corpus magis ducere, ad ſomnos verò & immobilitates minus. Si infra horam non inceperit, in ſecunda & tertia horis quieſcat, non dormiendo, ſed confabulando. Et ſequatur modum & ordinem dictum, & omninò per id tempus, quo in balneo eſt, aut illam aquam aſſumit, non dormiat in die, tamen quia hæc aqua penetrativa eſt, & aliquo modo materias movet in capite, motis autem illis non convenit ſomnus, quia ſomnus magis catharros movet. Addo ego, quod ſi quis eſſet conſuetus dormire, & non eſſet catharroſus, ille poſſet

dormire in die, finita operatione assumptæ aquæ, quia somnus non nocet, nisi propter catharrum.

De inanitione & repletione hoc sciendum, quod qui balneant, in certis casibus in hac aqua, & non potant, ventris constrictionem incurrunt, illi faciunt suppositoria, aut melius clisteria, ex sola aqua illa non intensè calida & sæpè utantur electuario de sebestem cum diagridio & aliis communibus lenitivis in forma boli.

Addo hic, quod si mulieri accideret fluxus naturalis mensium, quod ipsa aquam assumere non debet, sicut dicemus in una difficultate. Vtile est ergo, ut ingressuri balneum habeant instrumentum secum pro clisteri faciendo.

Qui balneant vel aquam bibunt, stent in lætitia & gaudio, nec tristentur ex aliqua re, quia omnia accidentia animæ corpus exiccant, præter gaudium, &c.

Debet patiens postquam exit illas Thermas servare regimen ad minus per XIV. dies, quia aqua illa ad extra & in-

tra magnam facit impressionem. Quare debet regi optimo regimine, quousque intelligat nihil intra venas vel membra de prædicta aqua esse relictum. Et placet ut ante discessum ex balneo, per duos dies remaneat non balneando nec bibendo, ne extraneus aër faciat alterationem, cum maximè pori sint aperti: suaviter ergò se exponant patientes aëri post finitum modum & ordinem assumendi illam aquam.

Deberem ponere capitulum de accidentibus in balneo & post balneum evenientibus. Sed quia hinc inde in capitulis hæc tetigimus, & nullum signorum curationis ab accidente sumitur, in quantum accidens, sed à morbo tantum, ideò ex proposito dimisimus, & licet accidentia mutent aliquando curationem, non tamen in quantum sunt accidentia, sed in quantum sunt causa dejectionis virtutis, aut augmenti morbi, aut ratione utriusque. Etiam ex doctoribus qui Thermas conscripserunt hoc capitulum requiratur.

CAPI-

# CAPITVLVM ULTIMVM, DE QVIBVSDAM DIFFICULTATIBUS EMERGENTIbus, circa dicta in præcedentibus capitulis.

AVER. 1. Colliget dicit ex verbis Galeni, quod duo sunt instrumenta, quibus medicina fuit inventa: Ratio & experientia, & hodie conferunt ad habendam cognitionem rerum expertarum. V. sint cibales vel medicinales. Ideò dubitatur cui magis, si supra aliqua re distent, credendum sit. Respondeo juxta Gentilem, quod secundum quid,& quo ad nos & ratione sensitiva, experimentum est magis notum, & sibi magis credendum. Sed secundum cognitionem simpliciter, & propter quid ut à causa sumitur, sic rationi magis credendum. Et absolute de utroq; loquendo, dico prævalere experientiam, quæ circà singularia negociatur, pro ut illa experientia sensuum circa propria sensibilia secundum conditiones requisitas ex secun-

ſecundo de anima rectè regulatur. Nihilominus experientiam indigere in ſua rectificatione, ad minus collativa virtute. Nam quod proportionata ſit diſtantia, & organum diſpoſitum, & medium diſpoſitum, nobilior quam proprius ſenſus virtus diſcernere habet. Quare licet fatuum ſit dimittere ſenſum, & ſequi rationem: Tamen propter ordinem potentiarum ad ſe invicem, experientia juxta Galen. ratione firmata, ut fieri neceſſarie debet optima eſt. Nemo ergo negat ſenſum aut experientiam, niſi aut propter falſam phantaſiam, aut ſophiſticam rationem. Quantum ergo ſpectat ad nobilitatem prævalet potentia habilior, quantum ad certitudinem determinati objecti prævalet ſenſus. Mihi autem non placet ſermo dicentium, quod, vbi omnes ſenſus ſuper ſenſibili conveniunt, ſenſitiva cognitio & experientia prævalet. Sed ubi unus tantum; ratio, Nam iſta reſponſio habet aſſerere proprium ſenſum, circa proprium ſenſibile falli poſſe. Hæc autem bonus intellectus facilè

cilè infert. V. Thermæ istæ provocent urinam ratione Baurach. Respondetur quod sic, quia hæ Thermæ sunt subtilitivæ humoris grossi & eliquativæ. Et epatis sequestrativa separat subtile à grosso, & ideò aqua istarum Thermarum deducit subtile ad vias urinæ, & sic ego expertus sum in viris ac mulieribus, quod in secunda potatione maximæ multiplicabantur urinæ. Et tertio tegni dicit plusquam commentator Baurachiæ & amaræ medicinæ mundificant & aperiunt. Et si manifestiorem vis rationem, habes ex Aver. quia medicinæ, quæ provocant urinam, debent necessario habere caliditatem cum siccitate, quæ adjuvant virtutem attractivam, quæ est in renibus ad attrahendum, & similiter adjuvant virtutem discretivam, quæ est in epate, dixi sæpè quod aperit illa aqua nunquam quidem proprie incidit, quia incisivæ medicinæ natura est, nihil efficere in essentiam humoris, sed tamen prohibere viscositatem sui ipsius in se, quod de illa aqua nullus rectè & propriè affirmare potest,

test, modo conveniat nobiscum in minera. Et si quis dicet aqua illarum Thermarum est solutiva, ut diximus, non ergo provocativa urinæ, quia juxta principem medicinæ solutivæ & provocativæ urinæ sunt prohibentium operum. Dicas quod ex intentione Avi. medicinæ solutivæ, & provocativæ urinæ sunt prohibentium operum, secundum quid, id est se impediunt diminutæ, hoc modo, quia medicina solutiva & provocativa simul non tantum solvit, quantum solveret, si esset solutiva solum; Similiter non tantum provocat, quantum provocaret, si esset tantum provocativa. Et divinus Mesue, nonne Agaricum solutivum & provocativum concedit, &c. Sed instas urgentius, quia ego quæro de virtute solutiva & provocativa, aut sunt æquales, aut una est alia fortior; si positæ fuerint æquales, & cum trahunt ad diversa loca omninò se impedient, quare non fieret operatio alicujus earum juxta regulam Aristotelis agentium æquè potentium, &c. Erunt ergo prohibentium operũ &c.
Si

Si autem una virtus est fortior alia, virtus fortior prohibebit operationem minus fortiorem &c. ergo respondeo pro intellectu meo magis medice quam physicè, quod aliquæ sunt materiæ magis aptæ educi per urinam, sicut medicus ex canonibus practicis habet, videlicet quæ sunt in gibbo epatis, & venis illis duabus emulgentibus, & medicinæ, quæ ab his locis materias deducunt, dicuntur magis diureticæ. Sed hoc, quomodo tàm calida, quàm frigida faciant omnes noverunt. Aliæ sunt materiæ magis aptæ educi per secessum, scilicet, quæ sunt in concavo epatis, & in meseraicis, & istæ maxime per solutiva educuntur. Sunt & materiæ in venis magnis, quæ materiæ communes appellantur, & istæ indifferenter utroq; modo educuntur. Sic ergo quæq; medicina educit materias proprias per vias proprias. Sed materias communes educit virtus fortior. Ego sum contentus hac responsione, qui vult eligat sibi meliorem maximè responsionem Serap. in libro aggrega. cap. de medici-

dicinis provocativis urinæ. Et sic dicerem quod Avi. quando dicit, quod solitivæ & provocativæ sunt diversorum operum, loqvitur Avicen; juxta Serapionem de provocativis tertij ordinis non primi, nec secundi, vt videre est in Serapione.

Cum thermæ istæ ratione aluminis dicuntur confortativæ,& constrictivæ, Cõfortativæ naturaliũ. Constrictivæ fluxus sanguinis, dubitatur qua virtute alumen hoc faciet? Respondetur quod aluminosæ aquæ dicuntur confortativæ virtute secunda, & non virtute tertia, ut Margaritæ vel aurum, nec virtute prima, id est, qualitatibus primis, pro ut æquat membri complexionem, quia alumen communiter à doctoribus ponitur calidum & siccum, in tertio, ergo &c. Si autem aliquæ Thermæ à tota substantia hoc faciunt non curo, remitto hoc ad veram cujuslibet experientiam. Quod constrictiva sangvinis dicetur, præmisso hoc, quod fluxus sanguinis, alius est naturalis, ut qui venit ex menstruis naturalibus: Alius non naturalis, & hic, aut venit à

causa extrinseca, sicut casu, vel percussione, vel ex vulnere, aut venit à causa intrinseca. Fluxus sanguinis non naturalis, veniens à causa intrinseca, triplex est, quia alius à vena, alius à corrosione, & alius ab apostemate venit. Si à vena, aut fit ex aperitione orificiorum ejus, aut dilatatione, aut ex fractura venæ. Si ex apertione orificiorum venit, qui plurimum consuevit fluere, triplex est, scilicet menstrualis, Emorroidalis, & per nares. Dixi autem plurimum, quia etiam ab aliis partibus fluere potest, sicut Benevenius Florentinus in suis experimentis annotavit, quòd per virgam maxima quantitas sanguinis exivit, veniens vel à renibus, vel vena Chili. Si vero ex fractura venæ fluit, ut plurimum ex pectore venit, & per os fluit cum tussi. Et sic plurimi doctissimi Scholares mecum viderunt, dum Bononiæ sub expertissimo medico Luguico de Leonibus proficerem, in viro bono plebano ad sanctum Michaëlem VVViennæ, cui per os ex rupta vena mirabilis quantitas sanguinis exivit.

exivit. Nec aliquo medicamine ſtringi potuit. Cui ſubvenit infra duas horas, præfatus Dominus Luguicus cum aqua Cyclaminis & portulacæ ſimul mixtis, ideo in deſperato caſu tali, & poſteri medici procedunt audenter, ſupra aquam diſtillatam Cyclaminis: nam ad intra cauſtica eſt. Cauſa vero intrinſeca fluxus ſanguinis non naturalis veniens à vena eſt, aut mala complexio calida dilatans orificia venarum, aut humida relaxans, aut acuitas ſanguinis, vel multitudo ejus.

Addo ad perfectam doctrinam, quod conſtringentia ſanguinis ſunt multorum modorum. Alia enim ſunt conglutinativa, & tela aranea, & albumen ovi, alia ſunt ſtipticativa, ut bolus armenus, & terra ſigillata. Alia congelativa, ut Camphora. Alia cauteriſativa, ut aqua Cyclaminis intra & extra. Alia ex proprietate quæ dicuntur ſigillativa, ut ſtercus aſini, de quibus remitto viros bonos ad authores de Emoroſagia. Et mihi maximè placet Vigonis doctrina, in hoc & aliis caſibus Chirurgiæ, Nam ut ſcripſit,

ita certe hodiè operatur Romæ, Et meo tempore Romæ primatum in Chirurgia obtinebat. Dico ergo quod aqua Thermarum nostrarum maximè & principaliter stringit fluxum sanguinis, non naturalem à vena provenientem, merito causæ intrinsecæ, aut eum qui est à lubricitate & humiditate relaxante orificia venarum, quare sanguinis fluxui copioso, tàm alborum, quàm rubeorum mirabiliter prodest, ut à præfata causa dependent. Sed an stringat fluxum sanguinis, vel naturalem, vel non naturalem, à causa extrinseca provenientem, non habeo quicquam experti. Credo autem verisimile est, quod stringant omnem fluxum sanguinis aliquo modo propter strictionem aluminis. Nam Serapio capitulo de alumine dicit, Alumen stringit omnem fluxum sanguinis sui stipticitate aluminis ab omni loco manantem. Sed circa dicta major insurgit in recto opere medico difficultas. Cum fluxus copiosus menstruorum rubeorum pendeat à causa calida, ab alia autem fluxus alborum.

rum. Dicendum quod propter diversitatem minerarum utrisque convenit. Nam non dubium est, quin ratione apetitionis & evacuationis albis convenit. Rubeis autem hoc pacto conveniet, quia aliquando provenit fluxus sanguinis, à multitudine sanguinis, vel ab acuitate ejus, vel à mala complexione membri aperiente orificia venarum. Sed perseverante tali fluxu cessat acuitas sanguinis, & multitudo ejus, & caliditas membri à quo exit immediatè, imo fit mala complexio frigida membrorum naturalium, per viam resolutionis spirituum, & sanguinis, & tunc hic fluxus à causa frigida immediate provenit, licet à causa calida mediatè provenerit.

Dico ergo quod stante causa calida scilicet acuitate sanguinis, vel multitudine ejus, vel etiam caliditate membrorum, à quibus exit, non conveniunt Thermæ nostræ ad intra, in tali fluxu, quia inflammarent magis, & sic augerent causam ejus, & per consequens fluxum. Cessante verò causa calida & conversa

ad frigiditatem propter superfluum fluxum, tunc conveniunt Thermæ nostræ. Et ideo sine formidine dimitterem in quinta aut sexta die post tales fluxus bibere talem aquam, ad minus per duos dies juxta ordinem dictum, & per duos dies balneare in eadem aqua, quia hoc pacto non solum stringit orificia venarum, sed etiam permutat malam complexionem frigidam, & in hoc medici sint oculati, ne consilio suo ignem extinctum ardere maxime faciant.

Dubitatur, si hæc aqua conferat in ulceribus. Scias quod secundum Avi. ulcerum quædam sunt habentia profunditatem, & quædam non. Habentia profunditatem, indigent quatuor intentionibus pro eorum curatione, ut sciunt Chirurgi, videlicet apertione, mundificatione, incarnatione, id est generatione carnis, & consolidatione. Non profunda Dominus Avi. appellat æqualia, quæ si munda sunt sola consolidatione indigent, cum levi exiccatione, ut est videre in processu principis. Iam respondeo

non neglecto sermone prin. de canonibus in universali de ulcerum cura, quod hæc aqua valet in ulceribus, maximè in non profundis; quia cura illorum stat in mundificatione & consolidatione, Sed illæ intentiones reperiuntur in hac aqua, ut in mineris demonstratum est. De ulceribus profundis, nisi vidissem viros magnos ex similibus ulceribus curatos, non affirmarem constanter curam, quia certum est, quod illa ulcera profunda incarnatione indigent, quam illa aqua apud me non faciet. Et iterum dico, quod accipiendo lapidem circa mineram & subtiliter pulverisando & miscendo cum medicinis generantibus carnem, in parva quantitate, res est mirabilis: ego hanc experientiam non feci, sed ab his intellexi, qui hoc modo processerunt. Addidi tunc quod etiam placeret in sigillatione ulcerum profundorum cum medicinis propriis, accipiendo de lapide mineræ, in majori dosi, & sic in cura fistularum usus ejus convenire potest, si primo ad intra assumitur. Et ideò qui habent

ulcera ex Gallico morbo, nisi custodia magna, & solertis medici opere ducantur, ex hoc balneo maximè periclitari possunt. Sed ubi alias diligens cura adhibetur, affirmo ulcera Gallici morbi curari posse, si non multum profunda, nec antiqua fuerint, ex quo elice, quam utile balneum est in scabie. Ptisicis autem administretur nullo modo, propter fortem abstersionem. Hydropicis confirmatis venenum est, propter utramq; ejus caliditatē, & ad extra, & ad intra prohibeo in hoc casu. Cachexiæ convenit in principio, ratione apertionis. Sed an spleneticis conveniat, insurgit difficultas, vt dispositio illa splenis à melancholico humore, vt fit, effectivè dependet. Ego paucis dico, salvo aliorum judicio, quòd cùm humor melancholicus adustus, id est, genitus per viam adustionis connotat duo, scilicet humorem illum, & modum generationis ejus, in epate videlicet discrasiato ad calidum. Ideò dico, stante tali discrasiâ epatis ad calidum, per quàm est aptum generare humores adustos, quod Thermæ

istæ ad intra maximè non conferunt, immo nocent, in habentibus humores adustos, quia hæ Thermæ augerent discrasiam calidam epatis. Et sic meo judicio in humoribus adustis semper nocent hæ Thermæ. Sed cessante discrasia calida epatis, & remanente humore melancholico frigido in corpore faciente aliquando ægritudinem, ut duritiem splenis & hujusmodi, tunc conveniunt istæ Thermæ ad intra, quia subtiliant, resolvunt & evacuant aliquo modo talem humorem.

De podagricis non habeo quicquam explorati, & diversa à diversis intellexi. Mihi videtur, quod podagricis ad intra non conveniunt, quia eliquati humores ad juncturas fortius moti currunt. Ad extra nobiliorem habere possunt operationem, propter intentiones varias, quæ considerantur in sedando dolore.

Dubitatur si ad dutiam valet hæc aqua? Respondeo, quod maximè convenit in debilitate, humiditate & frigiditate cerebri, nec elegantius remedium excogitari poterit ad dutiam. Nam si rectè

priores sermones consideras nihil utilius, nihil optatius in debilitate capitis excogitari poterit ad extra dutia ad quam ratione minerarum suarum hæc aqua mirificè valet. Laudo autem modum Gentilis, & Florentinorum medicorum, & tempus, & ordinem in dutia, Hoc addo, quod facta dutia per duos dies; quod semper postea in reliquis diebus applicentur Gariofili grosso modo pulverisati infusi in aqua vitæ, trium vel duarum cottarum, & ponantur peciæ infusæ ad coronalem commissuram. Et medici, qui homines mittere volunt pro dutia, videant, ut practicent optimè canones præscriptos ab Avic. de dutia. Et miror sæpe mecum, quod nullus medicorum per Germaniam dutia utatur, cum in nulla patria magis necessaria esset. Certè antiquæ illæ dispositiones capitis non Chochiarum pillularum usu curantur, aliud esse debet medicamen, in quo confidere debes. Dubitatur ultra; Si hæc aqua extra portata fuerit, valeat, ut præmissum. Ego certè extra portari

tari hanc aquam raro intellexi, Ideò nescio, quid dicam, ne videar ignota approbare, mihi videtur quod pro duria portata extra optime valeat, similiter in dispositione nervorum. Sed de modo assumendi ad intra ego dubito. Nam credo, quod ex illa infrigidatione, quam acquirit in via multum de virtute sua evanescat, & fortius, quando iterum actu calefit per caliditatem extraneam, & si facit operationes, ut in loco proprio, longe tamen debiliores. Ideò medicus secundum judicium suum æstimativum, videat quomodo exhibere vult, & in qua quantitate, & rogo quemq; doctum medicum, ut in loco, ubi practicat juxta doctrinam nostram, velit experiri Thermas illas, nam in Italia in qualibet civitate Apothecarii retinent aquas Thermarum suarum, & hoc fiat ad infirmorum & posterorum medicorum utilitatem. Ego vidi aquam Porretæ expensis cujusdam nobilis Tentzel in Schvvati, & usum ejus auxisse illius ægritudinem, vidi econverso Bononiæ & Florentiæ, ubi

aqua

aqua Porretæ secundum mensuram venditur, plurimis profuisse ejus usum, extra locum suum. Et ideò multum refert, si ad longinqua vel propinqua loca, aqua Thermarum portatur. Etsi exportari deberet, in vasis vitreis optimè exportaretur, quia vitrum minus alterat aquam. Si autem quis in vasis ligneis exportare voluerit, prius in loco aquæ infundat aquam de Thermis, & effundat, & hoc per duos dies, ut sic vasa lignea imbibant aliquam naturam illius aquæ, & hoc pacto minus alterabitur in vasis illis aqua Thermarum.

Vltra dubitatur, Si ex usu aquæ Thermarum nostrarum mulieri superveniret fluxus mensium naturaliter, an talis mulier ad intra sumere debet illam aquam, quia, quod balneare non debet, omnes noverunt? Respondeo quod non debet uti Thermis illis, quia evacuatio naturalis, per evacuationem Thermarum impediretur. Nota etiam quod si pollutio naturalis superveniret viris merito multitudinis spermatis, illi securè ad intra

&

& extra aqua illa uti possunt, si esset ex debilitate renum illa pollutio, tunc iterum convenit hoc balneum, secundum omnem modum administrationis. Vltra quæritur, si coitus convenit in usu hujus balnei? Respondeo, quod in primis diebus non convenit, in processu autem videlicet in octavo & nono die optimè convenit, quia tunc aqua illa impressionem fecit, & fiat in die quietis, ut supra dictum est. Et in coitu servetur modus expressus per conciliatorem in problematibus.

Vltra si superveniret in usu balnei fluxus Diarricus, vel Dysentericus, quid faciendum est, dicendum quod si fluxus esset propter balneum, dimittatur usus balnei, quia tunc cura illius fluxus pro magna parte est somnus & quies. Si fluxus est Syntomaticus, medicus secundum æstimativam suam consideret, quod magis expediat, & virtutem patientis diligentissimè observet.

Et ibi notandum, quod pleriq; causa delectationis Thermas illas accedunt, &

sæpè

ſæpè pravas diſpoſitiones incurrunt, ſecundum quod corpora illorum ſunt magis plectorica. Certè natura produxit Thermas pro malè habentibus, non ad alicujus libidinem & delicias.

Iſtæ videbantur mihi difficultates neceſſariæ, propter præmiſſos ſermones. Alias univerſaliores, & ad tractatum noſtrum minùs pertinentes, quilibet pro ingenio ſuo moveat & ſolvat. Et ſi alicui minus ſatisfacio, is mihi ſatisfaciet, cum & meliùs & rectiùs me docuerit. Ego ut errare facile poſſum, ſic facilimè emendatius judium ſuſcipio. DEO omnipotenti Laus.



SIMON

# SIMON PISTORIS MEDICÆ FACVLTATIS LIPSENSIS STUDII DEcanus, precatur salutem Lectori.

*REvidimus tractatum D. Doctoris VVenceslai Payer Cubitensis de Thermis circa vallem S. Ioachimi sitis, in quo materiam, proprietatem, conferentiam, usum verum illarum Thermarum benè expreßit, nec video tractatui illi inesse, quod ægrotis periculum afferat, nec quod offendat medicam scientiã. Quare placuit, ut ad communem utilitatem ederetur, & ego scripto & viva voce prædictum tractatum verè utilem & scientificum laudo & approbo. Actum in ædibus nostris Lipsiæ M. D. XXI.*

# VDALRICVS RVLEIN DE CALVV ARTIUM AC MEDICINÆ DOctor, D. Doctori VVenceslao Payer de Elbogen, S. D.

THERMAS EX AQUÆ PER MIneras transeuntis natura, varias ac diversas invenimus habere operationes, exsiccativam videlicet, abstersivam, constrictivam, lubrificativam, ac alias ex varia mineræ permissione multiplices, ut ex auctorum de balneis naturalibus scriptis liquidò apparet. Eam ob caussam diversis languentes ægritudinibus non ad quæq; balnea absque discrimine sunt mittendi; sed penes eorum lapsum seu dyscrasiam ad evitanda pericula, balnea sunt eligenda. Vidimus enim multos Thermas ingressos letali gravamine periclitatos. Ne verò id periculi amodò hominibus, & præcipuè tuæ patriæ incolis, ac etiam externis eveniat, tu, qui humanorum corporum curam geris, auxiliari ne differas, ac libellum utilissimum,

sub

ſub titulo, De Caroli IV. balneo in comitatu generoſorum dominorum Schlicken prope Elbogen & vallem S. Jochimi ſcaturiente, in lucem redige, qui operationem, juvamenta, nocumentaq; ejuſdem balnei clarè elucidat, & quibus balneantibus conferat, noceatq;, additis quibuſdam quæſtiunculis, cum earum reſolutionibus, ſcitu digniſſimis. Perge igitur, & libellum, quem in manu tractas, impreſſoria arte excudendum committe, ut ejus copia apud quemq; habeatur, bonum enim quanto communius, tanto melius. Spero equidem hujus balnei te completam habere cognitionem, tàm per ſublimationem aquæ, quàm alias inveſtigationes, per quas ad naturæ ejus manifeſtationem pervenitur. Facies itaque rem Medico approbato dignam, ac humanæ fragilitati proficuam, & balneantibus præcipuè ſummè neceſſariam. Vale & me tuis aſſcribe amicis. Kalendis Decembribus,

M. D. XXI.

Lipſiæ.

# EPISTOLA I.

## NOBILI VIRO Dn. BERTHOLDO DE GEND, aulico Generosi & Magnifici Domini, Dn. CASPARIS Columnæ Baronis à Vels &c.

D. MATTHÆUS KLINGEISEN, S. D.

PROXIME CUM ESSEM IN Thermis Carolinis, rogasti, ut mitterem Dominationi tuæ scriptam sententiam meam, de mineris dictarum Thermarum: quare ne videar, viro erudito, & amico singulari, quadam negligentia meam operam detrectare, hisce literis, paucis verbis complexus sum, quod conjecturis probabilibus collegi; præsertim cum explicatio uberior, atque demonstrativa plus temporis atq; otii requirat, quàm jam, propter practicos labores (quod nosti) mihi ferè continuos, suffurari licet. Thermæ Carolinæ contraxerunt nomen ex Imperatore Carolo IV.

celeberrimæ piissimæq; memoriæ, cujus venatione cæperunt primùm innotescere, anno videlicet, post natum Christum redemptorem generis humani, millesimo trecentesimo septuagesimo, prout in Prætorio loci istius inscriptio, singulis adventantibus conspicua testatur. Mineras, meo judicio, continent quadruplices, videlicet Sal, Alumen, Sulphur cum bitumine mistum, & Ferrum.

Sal barauchium sive nitrosum est, quod adparet ex rosione prurituq; cutis lavantium. Item ex solutione ventris, liquefaciendo humores frigidos, postquam actu, quàm fieri potest, calidissimæ bibuntur; aut ciendo vomitum, si actu tepidior aqua fuerit adsumpta. Imò visu & gustu quoq; deprehenditur Sal. Sal & alumen principaliores sunt mineræ, plus tamen Salis habent, quàm aluminis, quia plus solvunt, minus adstringunt.

Alumen autem habere probatur, non sapore, visu aut sequestratione Chymica tantum, verum etiam effectu, in variis morbis experientia conspicuo. Bibita

enim canonicè adſtrictione ſua ventriculum debilem ex humiditate reficit, ad petitum excitat, ulcera renum, & veſicæ curat, reſolutis nervis auxilium notabile præſtat, artheticos dolores ab extra mitigat.

Sulphuris & Bituminis miſturam inesse odore, & viſu deprehenditur, & fœtet aliquando aqua Thermarum Carolinarum, quanquam non adeò gravi & feriente nidore cerebrum, ſicuti Auſtriacæ Badenſes ſulphuroſæ prope Viennam: in ſuperficie quoq; notabilis quædam pinguedo, aut unctuoſitas, cum bullis albis & aliquali ſpuma ſupernatat, præſertim ubi recens fuerit collecta in loco balnei, & per balneantes nondum fuerit infecta aut corrupta. Præterea quia catarrhos frigidos, & humidos per duciam adminiſtrata, item contracta membra, uterinos morbos, urinæ retentionem, quod experientia omnium rerum magiſtra docuit, mirificè curat, aliquid Sulphuris & Bituminis continere, cuilibet Medico philoſopho ſani judicii faci-

facilimè patebit. Continuus quoq; tot annorum fervor, indicat, sub terra Sulphuris & bituminis contineri maximam quantitatem, cujus bituminis flamma perpetua & fortis, adfluxu aquæ continuæ non minuitur, physica ratione, neq; restinguitur, sed alitur potiùs, foveturq;. Ex tali flamma subterranea aqua fontis Thermarum nostrarum tantam concipit caliditatem, quantam vix in totius Germaniæ Thermis usquã reperies. Ipse testis eris sufficiens fideq; dignus, quantum caloris retinuerit post vecturam per duo miliaria magna Germânica, ex ipsis Thermis in arcem Petzschavv, in qua post tres horas ferè aliquo modo refrigerata vix Generosus atque Magnificus Dominus, D. Baro Caspar Colona in Vels &c. me præsente, commodè lavare potuit.

Ferratas esse nemo dubitabit, propter fontem acidulæ non longè à calido distantem, copioseq; fluentem, & in locis vicinis hinc inde ferri venas copiosas, omnibusq; conspicuas. Credo quod

non solum aluminis ratione, sed ferri mineræ quoq; tantoperè ventriculum debilitatum & fastidientem, refocillat. Tophi autem citrini, subruffiq; coloris, ex adfluxu hujus aquæ calidæ, circa fontem, & canales undiquaq; concreti, & quod mirum, jucundissimumq; visu, stramineis calamis, foliis ex arboribus defluentibus, item lapillis, pennis lineis, & aliis quam plurimis rebus immersis spatio trium aut quatuor dierum ad summum, quasi crusta inducta adparentes, è saxi calcarii mollioris istius loci copiosi, ferriq; venarum ramentis, propter aquæ calidissimæ violentum transitum & raptum derasis generantur. Habent istiusmodi tophi suas quoque vires medicamentosas in siccandis ulceribus, & ducenda crusta. Ex præmissis colligitur, thermas nostras calidum & siccum temperamentum sortitas esse, propter mineras enumeratas, invicem mistas. Prolixiorem autem disputationem inveniet dominatio tua in tractatu de Thermis Carolinis per doctissimum, &

perfe-

perfecti judicii Medicum dominum Doctorem VVenceslaum Beyern, aliàs Cubitensem, editum, cujus exemplar manu mea exaratum, una cum hisce literis ad Generosum & Magnificum Dominum D. Baronem in Vels, &c. Mæcenatem meum singulari observantia colendum, misi, ut esset posthac ipsius celsitudini, frequentanti balneum, semper in promptu. Commendo scriptum hoc omnibus Medicis, quibus cordi sunt Thermæ nostræ. Alias neminem scio, qui notatu digna de his rebus literis mandaverit, præter unicum Dominum D. Georgium Agricolam Kempnicium, verum decus Germaniæ nostræ, cujus gravissima scripta de metallis lectioni libelli de Thermis, commentarii vice, adjungenda censeo. Veram autem rationem ostendere explorandi mineras singulas, calidarum, tepidarum, acidularum, & aliarum aquarum medicamentosarum, per gustum, visum, olfactum, tactum, destillationem Chymicam, cocturam, exsiccationem in sole, pondera-

tionem &c. non est præsentis loci vel instituti, neque unius anni labor. Otium (quod dixi) sumptus,& auxilium Magnatum, item cum ratione & judicio longa experientia in variis morbis requiruntur. Plura, Deo dante, aliquandò coràm Dominationi tuæ explicabo. Interim boni consule moram, atq; brevitatem literarum mearum; excusserunt enim manibus calamum negotia, & labores, quibus nunc obruor. Salutabis ex me reverenter Generosum atque Magnificum Dominum Dominum Baronem in Vels, & omnes fautores, viros nobiles, bonos atq; pios. Cura valetudinem diligenter, & quod facis, amicitiam recens contractam inviolatam conserva.

Raptim ex Musæo meo in Schlackavvald, in die S. Thomæ Apostoli Anno reparatæ salutis 1568.



EPI-

# EPISTOLA II.

## *PRÆSTANTISSIMO VIRO N. N. &c. APOSTEMATE, & ulcere vesicæ colli laboranti, &c.*

## *D. JOHANNES NÆVIUS, Med. Electoralis S.*

SIGNA INDICATA CUM URINA non levem lacerati colli vesicæ, à salsa pituita, suspicionem mihi faciunt. Hæc enim in corpore congesta, & ad urinæ vias delata ureteres, imò & interdum renes, & vesicam erodit & excoriat. Hinc cum dolore & ardore urina emittitur, imò & sphincter vicinitate in consortium trahitur: hinc Tenesmus, & excernendi desiderium. Hic affectus difficilis certè est curæ, præsertim confirmatus. Per se dejicit appetitum, tabefacit, aliaque sæviora secum inducit Symptomata, ceu pedissequas. Medico igitur & chirurgo perito ac prudenti tibi opus erit, qui veram & rectam diœtæ, thermarum, & remediorum præscribat, doceat & ostendat administrationem. Tria interim

mitto experiunda in valle Joachimica præparanda: I. Alterans quatuor dosium, quod renes, vesicam, meatusque blandè absterget, & ardorem mitigabit.

℞. *Fol. Salviæ M ß.*
*Rad. Altheæ sine meditullio ʒ iij.*
*Liquiritiæ rasæ ʒ vj.*
*Gran. Alkekengi ʒ iij.*
*Fol. Menthæ crisp. p j.*

Coq. ℔ *j. ß. aq.* fontis puræ ad consumptionem tertiæ partis, coletur. De colatura.

℞. ℔ *j. in qua dissolve,*
*Syr. violar ℥ j ß.*
*de liquir. ℥ j ß.*
*Mellis rosat. sol. ℥ j. Misce.*

II. Bolus à loco affecto salsedinem abducens:

℞. *Diacatholici ʒ jj.*
*Flor. Cassiæ noviter tractæ ℥ ß.*
*Elect. Diasebest. ʒ j ß.*
*Sem. Melonum ℈ j.*
*Gran. berber. pulv. gr. vj.*
*Misc. f. bolus sacchare aspersus.*

III. Electuarium sequens corroborans,

rans, & mitigans acrimoniam, subinde nucis castaneæ quantitate assumendum:

℞. *Conser. rosar. antiq.* ℥ j ſ.
*Diatrag. frig. Nicol.* ℥ j.
*Gran. Alkekengi* ʒ ſ.
*Sem. Cydon. excorticat.*
*Malvæ*
*Altheæ an.* ℈ j.
*Corall. rub.* ℈ j.
*Sem. papaver. albi*
*Myrtil. aliquantulum torref. an.* ℈ ſ.
Pulv. pulver. & cum syr. violar. q. s. fiat Electuarium.

Præparato ita corpore Thermæ sylvestres adeundæ: & potissimum in hoc affectu potandæ calidè. Incipiendum à ℔. ij. & observandum, num per alvum aut urinam excernantur iterum. Effectu obscuro augeri potest quantitas, donec sensibiliter pari fere quantitate, qua epotæ sunt, ejiciantur. Commodæ diætæ scio alioqui dominum studere. Exulent autem hic in primis acria, salsa, aceto, aromatibusque condita omnia. Mulsa loco vini apprime conferet.

Inter-

Interea etiam aquæ appropriatæ sypho-ne injiciendæ, quæ abstergant primum, deinde consolident; qua in re chirurgi indigebis opera, quem procurare poteris. Thermarum tamen prius successus & effectus tentari poterit.



# EPISTOLA III.

## *NOBILISSIMÆ, ET GENEROSÆ DOMINÆ N. N. ex Holsatia, uteri debilitate laboranti.*

*D.* JOHANNES NÆVIUS, *Medicus Saxon. Electoralis. S.*

POST ADVENTUM IN THERMAS Generosa Domina primo die quiescat, vel exspatiando, & oppidum perlustrando tempus fallat. Secundo die ebibat potiunculam purgantem litera A. signatam.

℞. *Radicis Meu vulgo Gelsnik* ℥ iij.
*Pastinacæ sylvestris* ℥ ij.
*Asparagi* ℥ j.
*Levistici* ℥ j ß.

*Cype-*

*Cyperi ʒ ij.*

*Fol: Artemisiæ.*

*Melissæ odoratæ*

*Valerianæ*

*Matricariæ*

*Nepetæ*

*Calamenti an. p ij.*

*Florum Sambuci*

*Meliloti odorati*

*Boraginis*

*Betonicæ an. p j.*

*Sem. Anisi*

*Levistici*

*Siseris an. ʒ j.*

*Calami Aromatici ʒ iij.*

*Gentianæ ʒ j.*

*ZZ. ʒ j. ſ.*

*Agarici incisi ligati in petia ʒ ij.*

*Polypodii recentis incisi ℥ j.*

*Passularum sine arillis ʒ ij.*

*Liquiritiæ rasæ ʒ iij.*

Incidantur, contundantur, & stent in infusione f. q. aquæ Betonicæ, Artemisiæ, & Matricariæ per noctem. Mane bulliant in vase cooperto ad casum medieta-

tis,

tis, ut remaneat ℔. j. Coletur. In colatura infunde per horam:

*Fol. Senæ S. S.* ℥. iij ſ.
*Turbith gummoſi* ℥ ſ.
*Florum Boraginis*
*Buglоſſæ*
*Pœoniæ an. p j.*
*Rhabarbari* ℈ j ſ.
*Squinanthi gr. iij.*

Fiat nodus laxus adpenſus filo, bulliat in decocto, ſemper exprimendo, donec vis tota transfundatur. Deinde abjecto nodulo fiat colatura.

℞. *Colaturæ* ℥ *iiij.*
*Benedictæ laxativæ* ℈ *j ſ.*
*Syrupi de Artemiſia.*
*Duabus radicibus*
*Mellis roſati colati an.* ℥ *iij. Miſce.*
*S. Potio. A.*

Quod ſi hoc die, ut ſpero, alvus ſufficienter aperta fuerit, tertio ſtatim ad Thermarum uſum accedat. Et quia hæc aqua tàm ad lotionem, quàm potationem adhibetur; utrumq; ſic conveniet. Mane igitur hora ſeptima, poſt

alvi

alvi exonerationem naturalem, G. D. ingrediatur balneum tepidum, ne nimia caliditate corpus in principio statim resolvatur, & ibi moretur horam dimidiam, post egressum corpus ab externa aëris injuria muniat, & in lectum sese reclinet, ac quiescat, postea elapsa semihora moderate deambulet ac cibum capiat. Post prandium corpus lenta deambulatione moveat. Hora tertia pomeridiana denuo balneum ad dimidiæ horæ spatium ingrediatur, & post egressum, matutinum processum repetat. Cibatio sit frugalis, ne nimia copia vires ventriculi aggravet, & operationem Thermarum impediat. Horis inter prandium atq; cœnam interpositis potus omninò vitetur, quemadmodum etiam somnus meridianus. Si verò nox insomnis traducta fuerit, hora tertia pomeridiana ad virium reparationem aliquid hac in parte permittendum. Potus ordinarius sit cerevisia bona, vel etiam vinum Rhenanum, quod Schlackovvalda aut è valle Joachimica adferri potest,

Bohemica autem vina removeantur. Et hæc eo die, quo inſeſſu G. D. utitur, obſervanda. Quarto curationis die, depoſitis prius alvi fecibus, hora quarta matutina G. D. quartam canthari partem aquæ Thermalis è ſcaturigine hauſtæ, & calidæ in lecto adhuc jacens ebibat. Quo calidior aqua eò melior ad uſum, & efficacius venas penetrat. Interpoſita aliqua mora iterum eandem menſuram bibat, deinde in lecto horam unam maneat, & corpus contra adpulſum externi aëris benè muniat. Ante prandium, quod hora decima inſtituendum, in conclavi occluſo, lento gradu deambulet, & aquæ operationem obſervet. Solet autem in principio non facilè alvum movere, ſed certa opus eſt ad hanc rem, pro diverſitate naturarum ægrotantium, menſura. Idcircò ſequentibus diebus aquæ quantitas ſubinde augenda, donec ſufficiens menſura attingatur. Ut plurimum autem tres aut quatuor canthari uno die exhauſti ad purgationem ſufficiunt. Primò igitur die bibatur

tur canthari pars quarta, secundo cantharus dimidius, tertio cantharus unus, quarto cantharus $1\frac{1}{2}$ quinto 2, sexto 3. &c.

Pergatur, donec mensura aquæ uno die haustæ quater, vel quinquies purgando operetur. Hic subsistendum, & eadem quantitas, interposito semper die balneationis alternatim, repetenda, sexies vel octies, pro ut necessitas flagitaverit. Quod vero aqua sufficienter sit usurpata colligitur, quando mucosa & pituitosa materia cum excrementis in minori, quàm in principio, quantitate excernitur; tunc enim potus mensura minuitur. Eo die, quo aqua modo prædicto fuit adsumpta G. D. domi se contineat, usq; ad horam quartam pomeridianam, qua, si aëris injuria non fuerit impedimento, è domo exire, sicut etiam post cœnam, licet. Ab insessu autem eo die, quo bibit, planè abstineat, & alternatim progrediatur. Nunc de Symptomatis quibus ægroti nonnunquam corripiuntur, dicendum. Inveniuntur

F non

non nullæ personæ, quæ aquam Thermalem non benè ferunt, quod ex flatibus, & torminibus circa umbilicum molestis percipitur, nec sufficienter excernitur per alvum, aut meatum urinarium. Hoc quando animadversum fuerit, G. D. curet sibi injici Clysterem mane die sequenti.

℞. *Malvæ*
*Bismalvæ*
*Mercurialis*
*Parietariæ*
*Florum Chamomillæ an. M j.*
*Fol. Origani.*
*Calamenti.*
*Rutæ an. M ſ.*
*Sem: Aniſi, Fœniculi an. ʒ ij.*
*Carvi, Cymini an. ʒ j ſ. Liguſtici ʒ ſ.*
*Baccarum lauri num. x.*
*Gran. Juniperi M ſ.*
*Rad: Altheæ ℥ j. Mei ℥ ſ.*

F. Horum decoctio in ſ. q. aquæ ad conſumpt. tertiæ partis, ſtent poſtea in infuſione per horas tres. Colentur.

℞. *Colat. ℔. j. in qua diſſolve*

*Hieræ*

*Hieræ pieræ simplicis*
*Bened. laxat. an.* ℥. *iij.*
*Elect. de baccis lauri* ℥ *ij.* ſ.
*Olei lil. alborum* ℥ *j.* ſ. *Chamamel.* ℥ *j.*
*Rutæ* ℥ ſ.
*Vitelli ovi num. j.*
*Sacchari rubei* ℥ ſ.
*Salis triti* ℥ ſ.
*Omnibus bene dissolutis F. Clyster.*

Altero poſt die potum aquæ iterum tentet. Si non excernitur, ſequenti die deglutiat pilulas mane hora quinctâ.

℞. *Maſſæ pil. de Hiera ſimplici*
*Aureorum an.* ℈ *j.*
*Elaterii gr. j. Reform. pilulæ num. xxj.*

Poſtea diem quieſcat ac è Thermis diſcedat. Suadeo tamen, ne Thermæ ſtatim, propter exiguam moleſtiam, à flatibus in principio curationis ortam, & plus terroris quàm periculi inferentem, deſerantur. Quin potius clyſteribus, & pilulis purgantibus operatio juvanda, donec natura adſuefiat, & ad ſufficientem aquæ menſuram fuerit perventum. Quando alvus omninò obſtruitur, ſolli-

citunda est Cassiæ noviter extractæ uncia una ante prandium devorata. Aut mane, hora v. deglutiantur pilulæ sic præparandæ.

℞. *M. pill. de Hiera* ℈ *j.*
*Benedictarum* ʒ *ſ.*
*Aggregativarum* ℈ *ſ.*
*Diagridii gr. j. Reformentur pilulæ num. xxv.*

cum Syrupo de Artemisia; sequenti die, vel etiam duobus nihil tentetur. Quia etiam hoc balneum optimè vim suam corpori imprimit, quando à superfluitatibus est liberatum; utile esset, ut G. D. octavo, vel decimo quoq; die à lotione & potione abstineret, atq; pilulis præscriptis uteretur. Si ex alvi fecibus, & urina adparebit, vitiosos humores minui, potu descendendum; ac mane hora quincta ad magnitudinem castaneæ, die balneationi dicato, adsumatur de Electuario uterino, ac super bibatur haustus vini malvatici.

℞. *Cassiæ ligneæ,*
*Linguæ avis an.* ℈ *ij.*

*Rasu-*

*Rasuræ Eboris ʒ j.*
*Nucis Indicæ ℈ iiij.*
*Mastichis ʒ j.*
*Nepetæ veræ ℈ iiij.*
*Balsaminæ ʒ ʃ.*
*Maceris ℈ ij.*
*Piperis longi ʒ j ʃ.*
*Pinearum præparatarum ʒ j.*
*Sem: Rapæ.*
*Vrticæ an. ℈ ij.*
*Been albi ʒ j.*
*Oßis de corde cervi ℈ ij.*
*Margaritarum non perforatarum ʒ j.*
*Fol: auri puriß: minutim incisorum num. iiij.*
*Moschi.*
*Ambræ an. gr. j. boni ponderis.*

Pulverisentur singula subtilissimè, ac misceantur, & cum Sacchraro dissoluto in decoctione nepetæ. q. s. F. Electuarium molle, ac detur in fictili.

Post assumtionem electuarii G.D. hora septima ingrediatur balneum ad horam dimidiam vel totam. Deinde ses-

qui hora ante prandium, & cœnam sumat duas Rotulas hujus compositionis.

℞. *Specierum Arom: Rosati Gab. s. moscho* ʒj.

*Diacinamomi* ℈j.

*Diamarg. Avicennæ* ʒjß.

*Jecoris lupi* ℈ ij.

*Eupatorii* ʒß.

*Trochiscorum de Eupatorio* ℈ß.

*Sem: Dauci*

*Pastinacæ an.* ℈j.

*Cassia lignea* ℈ß.

Pulv: singula subtilissimè, misceantur, & cum. s. q. Sacchari dissoluti in aq. Eupatorii F. confectio in Rotulis, detur in scatula. Corroborant ventriculum, hepar, & matricem. Præscripsi etiam Rotulas ad fumum, quem admittere G. D. potest eo modo quem præsens demonstravi.

℞. *Ladani purissimi* ʒ iij.

*Benzoi* ℈ ij.

*Styracis calam:* ℈ß.

*Mastichis* ʒj.

*Ligni Aloës* ℈j.

*Sandarachæ* ℈ ij.

*Moschi*

*Moschi*

*Ambræ an. gr. j. boni ponderis.*

Diducatur Ladanum cum pistillo calido in mortario, & incorporentur reliqua reducta in pulverem, & formentur Rotulæ ad modum lupinorum.

Electuarium, Rotulæ, & suffumigium debent continuari, quandiu G.D. aquæ potu descendit, donec planè omittatur. In itinere autem post discessum, quando fumo non commodè uti potest, pergat nihilominus adsumptione electuarii mane & vesperi, rotulas etiam sumat hora octava ante prandium, & secunda post; domum autem reversa fumum iterum admittat, quamdiu aliquid de medicamentis supererit. Cum etiam commodum è Thermis non statim in ipsa curatione percipiatur, sed post mensem unum, & alterum demum effectus se exerat, moneo, ut G. D. à carne assa refrigerata, aliisq; cibis prohibitis etiam in posterum abstineat.

Tandem quia usum Thermarum diuturnum, virium quædam debilitatio se-

qui solet, G. D. ordinavi Trochiscos confortantes, de quibus tàm noctu quàm interdiu unum & alterum deglutiat, sine certa horæ observatione. DEUS, cui G. D. commendo, usum tàm Thermarum quàm medicamentorũ fortunet.

℞. *Specierum Diarhod. Abbatis.*
*Elect. de gemmis frigidi*
*Trium Santalorum an.* ℨj.
*Spodii de canna* ℈ß.
*Sem. 4. frig. majorum an.* ℨß.

Pulv. & incid. minutissimè, misceantur, & cum s. q. sacchari dissoluti in aq. Endiviæ f. confectio.



# EPISTOLA IV.

## *ORNATISSIMO DOMINO N. N. ARTIUM MAGISTRO, &c. adfecto Renum & Vesicæ exulceratione, &c.*

*D. CASPARUS NÆVIUS, Professor Lipsensis S.*

Con-

CONSULTIUS FUISSET, UT hic domi corpus à collectis hactenus superfluitatibus, purgatum fuisset, antequam te ad Thermas Carolinas contulisses; sed quia id nunc angustia temporis fortasse tibi non permittit, facies ad Thermas ubi veneris. Quiesces igitur ibi per diem, sequenti die sumes potiunculam sequentem, qua viis communibus evacuatis facilior fiat transitus Thermarum ad locum affectum, & ne ab ipsis excrementa ad locum affectum deducta, ipsum magis vellicent & asperent, erodantq;.

℞. *Decoct. commu. flor. & fruct.* ℥ *iiij.*
*In quibus dissol.*
*Fl. cassiæ extract. cum aqua malvæ* ʒ *vj.*
*El. de Sebesten* ʒ *iij.*
*Bened. laxat.* ʒ *j.*
*Syrupi violar.* ℥ *j.*
*Misc. f. potio.*

Tertia, auspice CHRISTO, inchoabis usum Thermarum, ac sumes libram unam aquæ ex scaturigine haustæ, calidam probè, & ita citius penetrabit. Con-

tinebis te in lecto per horas duas benè ſtragulis coopertum, citra ſudorem tamen, poſt obambulabis in camera vel hypocauſto ad prandii tempus uſque. Hora tertia pomeridiana poteris per horam ante cœnam prodeambulare, & ita obſervabis motum & operationem aquarum potarum. Solent enim primo flatus & tormina in inteſtinis & viis urinalibus & membris excitare, quibus ſuppoſitoriis & clyſteribus eſt occurrendum, eouſq; donec & membra fuerint aſſuefacta, & perreperint Thermæ.

℞. *Malvæ.*
*Bismalvæ.*
*Parietar. veræ.*
*Fl. chamomil. an. m. j.*
*Melilot. citrin.*
*Betonicæ*
*Clinopodii veri.*
*Saxifrag. an. m. ſ.*
*Sem. aniſi.*
*Petroſelini an. ℥ ij.*
*Medullæ ſem. carthami contuſi & ligati in petia rara ℥ ſ.*

*Agaric.*

*Agaric. trochisc.* ℥ j.
*Soldanell.* ℥ ij.

Incidantur, contundantur, & stent in infusione per horam, postea bulliant ad casum tertiæ partis, s. a. colentur cum expressione forti:

℞. *Colatura* ℔ *in qua dissol.*
*Cassiæ recens tracta* ℥ ß.
*El. lenitivi* ℥ ij.
*de hiera simpl.* ℥ iij.
*Diaphœnic.* ℈ ij.
*Diacatholic.* ℥ j.
*Ol. commun.*
*Chamomil.*
*Anethini.*
*Cappar. an.* ℥ j.
*Sacch. rubri* ℥ ß.
*Vitell. ovor. num. j.*
*Salis commun. triti* ℈ ij.
*Misce, f. clyster.*

℞. *Suppositor. num.* v.

Quia verò non dubium est, quin propter impuritatem & collectionem in renibus & vesica, ex quibus tu laboras, initio

tio tale quid excitabunt aquæ potæ, non deterrebit te, etiamsi aliquoties supra dictis subsidiis utendum tibi erit, quin perges potando, & sumes sequenti die libras duas eadem hora, & ita procedes singulis, vel alternis semper addendo libram aquæ, donec ad eam mensuram perveneris, quæ quater vel quinquies per diem alvum subducat. Solent enim Thermæ purgantis medicamenti modo, per alvum & urinam evacuare certo pondere. Hac mensura purgabis post modum te octo vel decem vicibus, vel tàm diu, quàm diu abstersione & mundificatione opus tibi esse vrinæ monstrabunt, quas singulis diebus colliges & inspicies. Et ubi ex diminutione purulenti humoris locos affectos mundificatos esse animadverteris, tum naturam Thermarum in consolidando ipsos, eo die quo à Thermis abstinebis, medicamento consolidante juvabis. Ad eam rem habebis medicamenta duo conscripta, quæ Schlackevvaldi, ubi peritum habes Pharmacopæum, maturè tibi præparari cura-

curabis. Is porriget electuarium, de quo ſumes illa die, qua non potas Thermas, drachmas duas, & poſt horam potionis cochlearia duodecim calefactæ, mane hora ſexta, cum quinta electuarium ſumpſeris. Habet enim conſolidandi facultatem. His uteris ſemper alternis, & ubi etiam Thermas ipſas reliqueris, quo locus benè conſolidetur;

℞. Renum capretorum (Zieglichen) num. iiij. Incidantur laminarum more, ubi à pinguedine benè mundati fuerint, & infundantur in aquis conſolidæ majoris & Alkekengi per tres aut quatuor dies, immutando ſingulis diebus aquam & novam affundendo. Deinde ℞. veſicam capreti abſciſſo collo, benè mundatam ab omni carnoſitate, & incidatur minutim & eodem modo infundatur ſeorſim in his aquis. Poſt in furno jam deferveſcente ita torreſiant, ne adurantur, ut pulveriſari poſſint. Pulveriſa ſingula ſeorſim, & poſtquam infra ſcriptum medicamentum ingreſſa fuerint, dentur patienti;

℞. Pulv.

℞. *Pulv. renum capretor. præparati* ℥ ʃ.
*Vesicæ capreti* ʒ iij.
*Rad. consolid. major.* ʒ j.
*Minor.* ℈ ij.
*Trochisc. Alkekengi* ʒ j.
*Caudæ equinæ* ℈ iiij.
*Boli armen.* ℈ j ʃ.
*Semin. 4. frigid. major. an.* ℈ j.
*Pulv. liquirit.* ʒ j
*Gummi cerasorum* ℈ ʃ.
*Myrtillor. Italicor.* ℈ ij.
*Sanguin. dracon.* ℈ ʃ.
*Olibani* ℈ j.

Pulverisentur pulverisanda, incid. incidantur minutissime, & cum s. q. syrupi violar. redigantur ad formam opiatæ.

℞. *Liquirit rasæ, & incisæ* ʒ iij.
*Passul.* ʒ j.
*Plantagin.*
*Eupator. an. m. j.*
*Fol. Myrt. Italic.* ʒ ij. ʃ.
*Jujubar. num.* v.
*Myrtill. Italic.* ʒ j.
*Sem. 4. frig. major. an.* ʒ j.

*Sem.*

*Sem. an.* ℥ j.
*Herb. petroselini m. s.*

Incid. contund. & stent in infusione s. q. aq. Alkekengi, & plantaginis simul mistis per horas duas, deinde bulliant ad casum tertiæ partis, ut remaneant libræ ij. Colentur cùm expressione forti, colentur bis, colaturæ adde

*Syrupi violac.* ℥ ij.
*Misc. f. potio.*

Ubi igitur octo vel decem vicibus mensura purgante usus fueris, diminues semper libram, donec Thermas in totum reliqueris. Hac ratione sumes. Nec video quid lotio aut balneum istarum tibi in tuo affectu prodesse possit, nisi velis nonnunquam aut amicorum, aut sordium abstergendarum causa lavare. Solent autem hæ Thermæ ratione caliditatis actualis & potentialis etiam inducere stipticitatem alvi, cui occurres glandibus communibus, aut clysteri, aut pilulis sumptis cum elaterio, quas ordinavi.

℞. *Mas.*

℞. *Massæ pillul. de hiera. simpl.* ℈*j. b. p.*
*Elaterii gr. j.*

Subigantur exacte cum melle rosaceo, & misc. pro duabus vicibus. Sumes etiam interdum drachmas sex florum cassiæ cum drachmis tribus elect. de sebesten, in forma boli, vel brodio prunorum dissolutas. Et quibus epar est natura calidum, quale tu habes, & his detrimenti non nihil minatur, pro quo arcendo sumes eo die manè rotulas tres diarhodon, quod ad Abbatem refertur, in tabulis, & totidem hora secunda pomeridiana, eo die quo Thermis non uteris. Inunges etiam eam cutis partem, cui epar subjacet in hypochondrio dextro unguento, quod à santalis nomen est sortitum, dissoluto ad prunas mane & post meridiem, ubi id necessitatem exigere animadverteris. Cum etiam hæ Thermæ nitrosæ sint, & sua abstersione sæpius vias urinales excorient, & maxime in canna virili, prodest ex semine cytoniorum extrahere cum aqua rosarum mucillaginem, & per Syringam in cannam injicere:

jicere: habet enim & uniendi & refrigerandi facultatem. Et, si ardor non mitigatur, inde ad aliud progrediendum, quale est medicamentum, quod Sieff album sine opio recipit, quod tibi cum reliquis conscripsi.

℞. *Aq. plantag.* ℥ iiij ß.
*Mucilag. semin. psyllii extract. cum aq. portulac.* ℥ j ß.
*Sieff. sine opio* ℥ j.
*Dissolvantur in aquis puris, post adde Mucillaginem bene diluendo* ℈ ij ß.

Sprißwasser.

Et quò mundius conservatur corpus, eò magis cita sequetur consolidatio. Consultum igitur est octo diebus, dum Thermis uteris, corpus evacuare, & intestina, maxime pillulis de hiera simplici cum aggregativis.

℞. *Mass. pill. de hiera simpl.* ℈ ij.
*Aggregativ.* ℈ j.
*Diad. gr. j.*

Cum melle rosato, fiant pillul. nu. xxvij. pro tribus dosibus. Deinde abstine ab omnibus acetosis, acribus, valdè salsis,

 pingui-

pinguibus, & mucillaginosis cibis, ut materia locum exasperans subtrahatur. Quod si ita victus rationem cum Thermis debitam conjunxeris, non dubito quin renes & vesica mundificabuntur. Quod attinet postmodum ad consolidationem pleniorem, illam consilio Medicorum domi prosequi poteris medicamentis sumptis. CHRISTUS dirigat Thermas ad recuperationem tuæ valetudinis, quam ex animo tibi opto. Reliqua coràm audivisti.



# EPISTOLA V.

*NOBILI ET MAGNIFICO DOMINO N. N. POLONO, &c. adfecto paralysi dextri lateris &c. usq; ad cingulum.*

*D. SIMON SIMONIUS, LIPSIÆ Professor Electoralis S.*

MAGNIFICENTIA TUA &c. primo die quiescat, & vespere hora una ante cœnam unam ex pilulis nostris

ſtris accipiat. Mane ſequenti, in nomine altiſſimi atq; omnipotentis DEI, exinanita prius alvo, circa ſextam vel ſeptimam horam, embrochatione incipiat uti. Recipiat ſuper futuram Lambdoidem, abraſo prius occipite toto. Prima vice paullò calidior quam tepida ſit embrochatio, & conſtet ex quatuor partibus aquæ Thermarum, quinctâ verò aquæ fontis, vel fluvii non medicatæ. Duret primo & ſecundo die per ſemihoram: tertio & quarto per tres quadrantes horæ. Atq; hoc modo progrediendum ad quinctum uſq; diem. Quincto die calidior adhuc embrochatio adhibeatur, miſta tamen ſemper quinctæ parti aquæ non medicatæ. Ac per horam integram duret. Eodemq; tempore totum corpus ad collum uſq; in balneum de more immergat. Robuſtius enim eſt corpus, & diuturnus adfectus, quapropter judicio meo, hic modus erit utilior, adtrahente videlicet ſimul infra balneo, & aqua ipſa ſupernè ex ictu vehementer diſcutiente. Poſt diem ſeptimum non

modò mane, ſed etiam veſpere, circa quinctam, vel quartam, eadem embrochatione utatur, ſed ſemel tantum, id eſt mane, ut præceptum eſt, lavet. Atq; ita procedat ad decimum quinctum, vel decimum octavum uſq;. Semper autem ad hoc opus jejuno ventriculo alvoq; exinanita (ſaltem mane, ſi veſpere nequeat) debet accedere: ſi ſponte non fluat alvus, arte irritari poterit, aut levi & communi ſuppoſitorio, vel, quod mihi arrideret magis, clyſtere ex ℔ j. aquæ Thermarum, ſacchari rubei ℥ iiij. Olei roſarum ℥ iij. & ſine ſale. Exiens ex balneo detergat leviter, & linteolo leni caput, deraſam capitis partem, qua incepta embrochatio eſt, panno rubro tegat, & pileo. Caveat à diurno ſomno tanquam à peſte. Solem vitet, ventum, pluviam, caliginoſumq; aërem. Comedat, poſtquàm à balneo per ſemihoram in lecto quieverit; ſed parcè comedat, & ſi fieri poſſit, in die ſemel tantum, aut ſaltem cœnam imminuat, atq; aliquando etiam omittat. Vino utatur tenui, albo,

bo,non adulterato,non dulci. Abstineat ab esculentis omnibus,de quib. ipse Lipsiæ admonitus satis est. Priusquam autem in balneum se immergat,hepatis regioné totā unguento sandalino inungat. Hora qua abit cubitum,accipiat Sacchari rosacei ℥ ſ. cum diacodionis ʒ ſ. ac interdum lambat aliquid Sacchari candidi. Si fluxionis impetum aliqué ad principem aliquā partem senserit,maximeq;ad pectus, vel etiā capitis dolor vehemens supervenerit,utatur præcepto Celsi,id est, omné embrochationé lotionemq; dimittat, & tantisper supersedeat, donec se benè restitutum, meliusq; præparatum senserit. Diacitonio, vel coriandris cum saccharo præparatis à cibo, ejus rei præcavendæ caussa, uti poterit, & frontem etiam aliquando oxyrrhodino aspergere. Alia symptomata minus timenda ejusmodi habitui, ac temperationi, & statui corporis sunt. Post sextum decimum, vel decimum octavum discedat quò volet, Non lavet tamen, neq; abstergat caput per viginti dies, quidquid in eo crustæ

ex embrochatione manserit. Victu tenui, parcoq; totidem diebus utatur. His servatis conditionibus spero Magnificentiam tuam non mediocrem utilitatem ex Thermarum istarum usu accepturam: cum præsertim ex nostra præparatione, curationeq; melius jam per omnia se habere inceperit.



# EPISTOLA VI.

## *SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS SUBCAMERARIO &c. qui Ardorem urinæ cum febricula, & carunculas in virga patiebatur, &c.*

*MEDICI CÆSAREI S.*

PRIMO, MANE SURGENDUM erit, alvus, vesica, nares, & pectus expurganda, & facta leni inambulatione, ingrediatur balneum, in quo initiò tantùm dimidiam horam commorabitur, aliis deinde diebus diutius, ita ut attingat, si fieri poterit, ad summum duas horas.

horas. Secundò, Egrediens balneo, calidis linteis in tepidario se absterget, & ab aëre externo se muniet. Tertiò in conclavi ad unam horam dormiet, si volet, sudabitq;, si natura ad id sponte proclivis fuerit. Caput diligenter exsiccabit; sudorem absterget; surget de lecto; & rursus inambulabit. Quartò cibum capiet; vino utetur tenui, aut cerevisia absinthiaca, aut Friburgica. Quintò, post pr ndium horis sex, nunquam verò citius, si volet, iterum balneum ingredietur, morabiturq; in eo minus dimidia hora, ita ut semper diutius antè, quam post prandium lavet. Hæc sunt facta primi diei, & sic fiet repetitio aliis diebus, puta tertio, quinto, septimo, &c.

PRO SECUNDO DIE.

Secundo die non ingredietur balneum, neq; enim unquam simul est lavandum & bibendum, sed potabit aquam, hoc sequenti ordine. Primò, post unam horam ab ortu Solis, afferetur aqua balnei, ex ipsa scaturigine, quæ ubi aliquantulum refrixerit, calida bibetur.

tanta quantitate, seu mensura, quanta ibi ostenditur, & post bibitionem, exercebitur corpus, modesta inambulatione, & non dormiet. Quanquàm autem plurimi, incredibili mensura, ex ea aqua bibant innoxiè; tamen qui primò eò veniunt, non aliorum exemplo ducantur; sed ipsi periculum faciant, quantũ natura illorum ferre possit, atq; ita paulatim quantitatem aquæ augendo, ad eam bibendam se assuefaciant. Secundò, una hora elapsa, à priori bibitione, si interea nihil fuerit operata, vel per alvum, vel per urinam, iterum bibet tantum de ea aqua, quantum prius, aut etiam amplius, & post bibitionem differet cibum ad horas tres. Certum enim est, secutam iri operationem. Et si contingeret, ut nec intrà prædictas tres horas, subsequatur operatio, statim quarta hora, à bibitione, sumet prandium, somnumque vitabit. Nota. Tandiu augenda est quantitas, seu mensura aquæ potandæ, donec ea per urinam, ita clara, ut bibita est, expulsa fuerit. Nota. Eo die, quo aqua non

non bibitur, ſentiri ſolet laſſitudo, & defatigatio quædam membrorum, quod accidit, propter commotionem humorum, ſed æger ob hanc cauſam non debet contriſtari, neq; aliquod periculum vereri. Nota. Eo die, quo aqua bibitur, debet eſſe leve prandium, ex pullis, & ovis, ſimiliter & cœna. Quando autem balneatur, liberalius prandere, & cænari poteſt. Si imbecillitas aliqua ſupervenit; ut animi deliquium, habeat ſecum aquam Cinamomi deſtillatam, conſervam roſarum, Manus Chriſti perlatas. Imò poſt egreſſum è balneo, poterit ex illis aliquid ſumere, præſertim, ſi vires imbecilles fuerint. Si videbitur febriliter excalfactus, abſtinebit à balneo, & potatione, & ubi calor febrilis remiſſus videbitur, aut prorſus deſijſſe, ſumet Mannæ tres aut quatuor lotones, in jure aliquo, nec unquam ingrediendum eſt balneum, perſeverante febre. Cibo tum utetur levi, & potu ex aqua hordei, aut vino tenui aqua modicè diluto: Item emulſione amygdalarum

dulcium, & seminum Melonum, ab extrà, si epar incalescat, inunget regionem hepatis, unguento ad id signato infrà. Pro lumbis verò & renibus inungendis, aliud est unguentum descriptum. Si caput doluerit, ut interdum fit, ob vapores è ventriculo sursum elevatos, sumet post prandium Coriandri præparati cochlear unum, aut aliquid de confectione ex cotoneis sine aromatibus: Item pillulas alephanginas, & DEUS benè vertat.

Pro tertio die, fiet ut pro primo, & pro quarto, ut pro secundo factum est: Sic enim ista interpolatio servanda erit.

COPIA RECEPTARUM, PRO regimine in Thermis.

℞. *Pillularum alephanginarum* ℥ ſ.

℞. *Ceroti santalini* ℥ j. *signetur pro epate*.

℞. *Cerati santalini.*

*Infrigidantis Gale. an.* ℥ j.

*Olei rosacei q. ſ. Camphoræ g. j. fiat unguentum.*

℞. *Coriandri præparati* ℥ iiij.

℞. Con.

℞. *Conservæ rosarum ℥ iiij.*
℞. *Manus Christi per latas ℥ ij.*



# EPISTOLA VII.

## *GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO GEORGIO de WAMBACH Marchionis Anspacensis Consiliario, &c.*

*D. MATTHÆUS KLINGEISEN, Salutem D.*

QUod ad cruciatus coxendicis attinet Strenuæ Magnificentiæ tuæ, quos per triennium fere perpessa est, ut mihi retulit, video in promptu esse optima consilia Medicorum excellentissimorum, & maximi nominis, quorum omnium diligentiam, & fidem summopere probo. Complexi sunt enim fere omnia, quæ requiruntur pro perfecta notitia morbi, ejusq; præservatione, & curatione, ita, ut nihil propemodum desit, quod commodè posset addi prolixiore consilio remediis & auxiliis hactenus colle-

collectis. Viri etiam eruditissimi & acerrimi judicii D. Nicolai Bucelli Regii Medici sententiam, & intentiones curativas unicè commendo Magnificentiæ Tuæ. Ego enim idem sentio, si quid in Chronico, & in difficili tuo morbo consilii superesse poterit, hoc per vomitus, & enematum crebriorem usum præstari. Sic enim canonicè avertentur & mitigabuntur dolores, hærentes in junctura totius corporis profundissima. Ego tamen in maximis doloribus, Dei beneficio, sæpius cùm successu, & laudabili operatione adplicui linimentum concinnatum è sequentibus, quod

℞. *Mellis crudi optimi*
*Axungiæ porcinæ veteris an.* ℔ *j.*
*Medullæ cervinæ* ℥ *iiij.*
*Pulv. florum chamæmeli* ℥ *j.ß.*
*Dictamni cretici* ℥ *ß.*

Misceantur dissolvendo lento igne, fiat colatura expressa per telam lineam mundam, detur in fictili lati orificii pro linimento. Extendatur super alutam mundam, vel telam lineam, justæ quantita-

titatis, & adplicetur loco dolenti quam fieri poteſt calidiſſime. Interdum etiam ſolius mellis adplicatio multis profuit, pro ſedatione dolorum. Poſſunt varia componi remedia, pro qualitate humorum peccantium, & morbi tempore, quod tamen relinquitur principaliter judicio, & diſcretioni præſentis Medici. De auxilio vero per Thermarum Carolinarum uſum in doloribus Iſchiaticis cum nullibi facta ſit mentio in conſiliis collectis & mihi exhibitis; duxi Tuæ Magnificentiæ ſignificandum, me ſingulari, & longa obſervatione ſæpiſſimè manifeſtam efficaciam expertum fuiſſe, in robore coxendicis, per lotionem in Thermis noſtris, actu & virtute calidis, præſertim cum per duos menſes fuerint continuatæ. Quia verò tua Magnificentia, ſicuti mihi aliquoties conqueſta eſt, ſummoperè abhorret uſum enematum, & fortaſsis vomitus quoq; crebriores, propter viſus læſionem, quàm ſæpius inducunt, Tuæ Magnif. quoq; ſuſpecti ſunt; univerſalis autem & canonica corporis mundi-

mundificatio necessario usu Thermarum præmittenda sit: Ego sequentia medicamenta tam vernali, quam auctumnali evacuationi convenientia præscribere volui, canoni pro bibitione, & lotione in Thermis nostris coxendicis adfectui convenientissimis. Sequitur primum vernalis humorum digestio, & evacuatio, mense Aprili.

℞. *Florum & Foliorum Hypericonis*
*Primulæ veris an. M j.*
*Acetosæ M ʃ.*
*Rosarum rubearum exsiccatarum p ij.*
*Sem. pæoniæ ʒ vj.*
*Visci quercini ʒ iij.*
*Alkekengi num. x.*
*Amygd. amararum ʒ iij.*

Incidantur, & conquassentur, decoquantur lege artis in aquæ fontis purissimæ ℔ iij. ad consumptionem medietatis, colaturæ expressæ addantur:

*Syrupi Rosaci solutivi comp. ℥ iiij.*
*de lupulo*
*de succo acetosæ an. ℥ j.* Misce.

Fiat potio in fictili danda. Exhibeantur

pro

pro qualibet dosi ℥ v. & continuetur per triduum, sumendo manè calidissimè, & jejunando tribus horis, ac fugiendo aërem nubilosum. Quarta die, aliquo modo digesta materia, exhibeantur pilulæ sequentes vernales matutinis horis cum brodio conveniente, & custodia, ut moris est. Abstersivum etiam ex brodio simplici non salito caponis cum Sacchare pauxillo prandio per semihoram præmittatur.

℞. *Massæ pil. Aggregativarum* ʒ ſ.
*Masticinarum* ℈ j.
*Assajereth* ℈ ſ.
*Diagridij gr. ij.*
*Troch. Alhandal gr. j.*

Misce cum syrupo rosaceo solutivo, formentur pilulæ, quantitate pisorum, & deaurentur. Eadem ratione est instituenda sanguinis, & totius corporis, mundificatio tempore auctumnali ante Thermarum usum circa principium, aut in medio mensis Septembris.

℞. *Foliorum Betonicæ*
*Salviæ minoris*

*Florum*

*Florum Hyperici*
*Tiliæ an. M ſ.*
*Scordii p. iij.*
*Stæchados Arabicæ p j.*
*Rad. Scrophulariæ*
*Pæoniæ an. ℥ ſ.*
*Sem. pæoniæ excort.*
*Citri conquaſſat. an. ℥ ſ.*
*Nucleorum perſicorum interiorum*
*Amygdalarum amararum an. ʒ j ſ.*
*Galangæ ʒ j.*
*Alkekengi num.* xv.

Incidantur, & conquaſſentur, & coquantur lege artis in aq. fontis ℔ iij, ad caſum medietatis.

℞. *Colaturæ ℔ j. adde*
*Syrupi de corticibus citri*
*de Betonica*
*Epithymo.*

*Mellis roſati colati an. ℥ j ſ. Miſce F.* potio aromatiſata parum cum aqua cinamomi optima. Dividatur in tres partes æquales; & exhibeatur tribus diebus continuis matutinis horis tepidiuſcula more conſueto jejunando tribus horis

poſt

post assumptionem cum aliquali custodia. Die quarto post exhibitum digestivum, dentur pilulæ auctumnales mane hora quincta jejunando quinq; horis, non sudando, neq; dormiendo post assumptionem. Si quid nauseæ movebunt pharmaca, masticetur parum nucis moschatæ, vel Zinziberis, aut calami conditi. Ante prandium quoq; exhibeatur per semihoram haustus calidus brodii pisorum non saliti cum sacchаro, & pauxillo Zinziberis pulverisati mistus, pro ablutione, & abstersione intestinorum. Rationem victus temperatiorem, & convenientiorem alias notissimam esse Tuæ Magnif. non solum ex consiliis Medicorum priorum, sed quotidiano potiùs usu nihil dubito. Sequitur pilularum descriptio.

℞. *Massæ pil. sine quibus* ℥ ſ.
*Aggregativarum* ℈ j.
*de Sarcocolla* ℈ ſ.
*Diagridii gr. iij. M. F. pilulæ cum aquâ betonicæ num. xxviiij. Deaurentur.*

*Canon pro balneo, & sumptione aquæ.*

Magnificentia Tua corpore, ut dictum est, justo tempore & modo medicamentis præparato, tandem bibat aquam Thermarum nostrarum quantitate & ordine sequenti.

Post adventum in hospitium Magnificentia tua die sequenti quiescat, ne ex usu aquæ, post lassitudinem, & defatigationem, concitetur fluxus improvisus in articulis. Altera die post sesquihoram ab ortu solis, adferatur aqua Thermalis, ex ipsa scaturigine, in fictili mundo incrustato (sunt enim alia metallica vasa propter mineras suspecta) quadra benè tecto, ne quid Spirituum inde exhalare, & consumi possit. Vbi aqua refrixerit aliquantulum (tecto tamen vase) bibatur quam fieri potest calidissima. Tepida namq; movet nauseam, & vomitum concitat. Igitur rejectis prius excrementis, tàm per urinam, quàm per secessum, quod etiam aliàs in lavando & bibendo diligentissimè est observandum, ebibatur tantum aquæ, quantum benè perferri potest, vel, exempli gratia, quantum

tum capit una mensura canthari cerevisiæ istius loci, quam mensuram plerumq; implent urceoli sex majoris quantitatis, omnibus hospitibus ibidem notissimi. Delicatiores, & quibus à natura est nauseabundus vel exquisiti sensus ventriculus, minorem prima vice, quantitatem bibant, indies aliquid addendo, ut adsueti tandem etiam aliquot cantharos plenos singulis diebus absorbere possint. Post assumptionem aquæ commemoratæ non dormiat Tua Magnificentia, nec indulgeat sudori prorumpenti tum temporis copiosiori, ex potationis labore, & molestia: sed versetur potius in conclavi temperati aëris, cavendo aërem turbidum pluviosum. Neque enim satis tutum est, sese auræ frigidiori & ventis committere, ante aquæ operationem. Absoluta unius diei potatione quatuor horis jejunandum, interim confabulando, quousq; aqua adsumpta proruperit, sive per urinam, sive per secessum. Multis etiam vomitum ciet, atq; sudorem elicit, pro diversa constitutione indivi-

duorum, & morborum adfligentium. Et lapsis horis quatuor, ad summum quinq; post bibitionem, sive aqua excernatur prima die per secessum, sive retineatur, prandeat hilariter Tua Magnificentia. Solet enim in multis operatio aquæ differri usq; ad meridiem, vel alterum diem, sine ullo periculo, tandem eò copiosior reddi. Tertia die bibat largius, quàm præcedente, indies addendo unam mensuram aut alteram, donec, si fieri potest, aqua adsumpta operetur, si fieri potest, quinq; sex, vel novem sedes, cum alleviatione, & sic clara, qualiter bibitur, urina reddatur. Hoc signum erit laudabilis operationis, & sufficientis mensuræ adsumptionis; quæ continuetur sic per biduum, vel ad summum triduum. Tandem ea vicissim, quasi per gradus descendendo indies, ut minuatur quantitas necesse est, sicut à principio augebatur, donec adtigerit unam mensuram cerevisiariam, ut supradictum. Hoc modo ut plurimum decem dies erunt sufficientes potationi. Urgente necessitate interdum

terdum ad præscriptum Medici præsentis, pro varietate symptomatum, sunt ista omnia vel interrumpenda, vel denuò repetenda, pro conditione ægroti, & morbi. Qui eò primò veniunt, non aliorum exemplo ducantur, aut moveantur, sed (ut supra) ipsi paulatim periculum faciant, quantum illorum naturæ, & vires ferre possint, & paullatim quantitatem aquæ augendo, sese adsuefaciant. Semper tamen adhibito judicio Medici rationalis, & consideratis considerandis. Notandum præterea, quod quotiescunque bibitur aqua nostra, non obruatur ventriculus, multiplici cibo aut potu, sed prandium sit potius leve, similiter & cæna. Econtra quando balneatur, liberaliùs tàm pranderi, quàm cænari potest.

## MODUS LAVANDI IN THERMIS CAROLINIS.

Laborantes juncturarum dolore majori successu lavant quam bibunt, quia per adsumptionem ad intra colliquescunt humores plus justo, & facilius flu-

unt ad loca debiliora & adfecta. Veruntamen quia Magnificentia tua obruta hactenus medicinis variis, abhorret ferè omnia; mihi consultius videtur, ut primò bibat aquam Thermarum, præcipuè tempore vernali (quo sunt majoris efficaciæ, & humanis corporibus convenientissimæ, propter motum sanguinis) juxta modum jam præscriptum & hactenus celebratum. Sic enim fiet, ut, etsi debilius solvunt, aliorum medicamentorum purgantium respectu, tamen continuata potatio ad aliquot dies vicem suppleat medicamentorum aliorum, cujus rei veritatem experta est Tua Magnificentia ferè singulis hisce diebus potationis. Superest ut addantur etiam præcedentibus præcepta pauca pro lotione, scitu perquam necessaria. Postquam surrexit Magnificentia Tua expurgentur primò alvus, vesica, nares, & pectus à superfluitatibus noctu collectis, & facta leni ambulatione, tandem ingrediatur balneum, in quo à principio per dimidiam horam commorabitur, sequentibus

bus deinde diebus diutius, donec attingat ad summum duas horas. Secundò à principio actu calidum nimis non adhibeatur balneum; & paulatim se immergat altius, circa exitum calidius abluatur. Tertiò egrediens linteis calidis in tepidario abstergatur, seq; muniat adversus circumstantis frigidi aëris excessum. Quartò post balneum dormiat in lectulo, si libet per horam, sudabitque si sponte post balneum sudor proruperit. Experrectus caput exsiccabit frictione leni, & sudorem absterget linteamine subcalefacto, tandem surgat, & paulatim ante cibum sumptum deambulando sese exerceat. Quinctò capiat cibum paucis facilis concoctionis ferculis contentus, utatur vino tenui Neccarino aut Rhenano, aut cerevisia optimè defæcata, diuretica, neq; picis nidore & caput feriente. Sextò post prandium quatuor horis, nunquam citius iterum balneum ingrediatur, commorabiturq; in eo non ultra horam. Sufficit enim Magnificentiam Tuam per diem integrum, non ul-

tra tres, vel quatuor horas immergi Thermis, propter artheticos dolores facilè recurrentes, & semper diutius ante, quam post prandium. Septimò, Medici nonnulli tempus lotionis infirmis adventantibus præscribunt; aliis centum horas, aliis octuaginta; plurimis per integrum mensis spatium. Sufficit Magnificentiæ Tuæ ab initio adventus in Thermas ad summum potatio per dimidium mensem, deinde verò per mensem integrum continuare lotiones. Tutior est frequens & reiterata lotio ad multos dies protracta, quam ad horas multas continuas unius diei. Deinde opus habet etiam Ischiaticus vel coxendicis dolor, aliàs chronicus & difficilis curæ, plus temporis, & moræ in balneo, quam alii dolores juncturarum, vel alii morbi: quare diutius erit commorandum in istis locis, propter tardiorem aquæ impressionem. Sunt autem horæ balneandi singulis pro cujusq; corporis dispositione & virium tolerantia præscribendæ. Lotio post cænam est perniciosissima. Neq; in balneo dormiendum. SYM-

SYMPTOMATUM OBSERVATIO.

Si quis senserit, sese febriliter excalfactum, abstineat à potatione, & balneó, donec calor febrilis remissus videbitur, aut prorsus evanuisse. Propter febriles calores autem sumet duabus horis ante prandium vel cœnam unciam unam & semis, vel duas ad summum Cassiæ florum in brodio aliquo caponum, sive prunorum Vngaricorum. Sic restinguetur facilius calor præternaturalis. Perseverante febre utatur levi cibo & potu ex aqua hordei, aut vino tenui aqua modicè diluto. Esset etiam conveniens in isto casu emulsio 4. sem. frigidorum majorum, & amygdalarum dulcium excorticatarum æquali pondere, cum aqua simplici fontana cocta. Crebrior item usus conservæ rosarum rubearum per horam ante cibum, pro dosi una semuncia. Si doluerit caput propter fumos ex ventriculo sursum elatos, ratione calidioris hepatis, & frigidioris ventriculi, sumat Magnificentia Tua post prandium aut

cœnam cochlear unum coriandri confecti, vel saccharo incrustati, aut aliquid Diacytonii simplicis pellucidi è succo Cytoniorum arte præparati. Item pilulæ alephanginæ vesperi cubitum ituro exhibitæ auferunt caussam doloris capitis, quibus tuto uti licet semel in septimana, aut si lubet, intra spatium 14. dierum. Quod si animi deliquium, vel imbecillitas aliqua supervenerit, habeat quoque in promtu aquam Cinamomi artificialiter destillatam, item conservam Rosarum, Manus Christi perlatas, de quibus post egressum è balneo aliquid sumere poterit, præsertim si aliàs fuerint vires diutius prostratæ, & exhaustæ vi morbi. Cetera relinquenda sunt judicio Medici præsentis, & ex consiliis aliorum Medicorum satis prolixè tractata commemorantur. Faxit Filius DEI unigenitus, Redemtor noster, qui verè solus sanat languores nostros, ut Magnificentia tua brevi restituatur bellissimè integræ valetudini, meq; sibi commendatum habeat. Raptim in Thermis Carolinis 11. Octob. 1578. EPI-

# EPISTOLA VIII.

## CLARISS° D. MATTHÆO KLINGEISEN MEDICO Annæbergensi &c.

### D. HEINRICUS BRAND, S. D.

ILlustrissimus Princeps an. 46. ab ineunte ætate valetudinari9, ætate auctior factus, & parentis mensæ adsidens, propterea, quod cogitabundus adsideret, sæpius increpatus fuit. Nam à nativitate Melancholiæ, ventriculo frigidiore, hepate autem aliqua ex parte ad caliditatem, una cum renibus, & cordis constitutione, vergente, indulsit. Ex illa dyscrasia cerebrum humidius habuit, & perpetuis destillationibus reliquæ partes expositæ fuêre. Inde factum, ut ante annos undecim peripneumonia laborârit, quæ tamen feliciter curata fuit. Sæpius autem de calculo conquestus, cujus etiam initia arenularum multitudo ostendit. Nihil autem ex omnibus enumeratis symptomatibus magis Celsitudinem

dinem Ipsius molestavit, quam flatus, qui circa orificium ventriculi, in hypochondriis ipsis, & ultra diaphragma compressionem fecêre, cui symptomati & ardor stomachi sese conjunxit, qui aliquando ructibus acetosis, aliquando nidorulentis molestiam naturæ peperit: inprimis si diæta inordinata, & corporis exercitium ipsum cibum cum vini potu exceperit. Accessit hisce omnibus brachii dextri ante anni quadrantes tres luxatio violenta, ex equi cursu celeri & vehementi. Quanquam autem repositum membrum sit, nihilominus in motu impedimentum tam sursum, quam ad latera animadvertitur. Quibus omnibus & hoc adnumerandum; multis flatibus corpus quod obnoxium sit, sæpius etiam stercora nigricantia quod ejiciantur. Quare omnia gravioris mali morbique nuncios esse cum existimet, aliorum suasu & auctoritate Thermas accessit, inprimis ut luxatum membrum ad vires rediret, & flatuum, compressionisque diaphragmatis remedium inde ut peteret.

Itaq;

Itaq; corpore ad haustum Thermarum præparato, consideratisq; aliis circumstantiis, inprimis constitutionis ventriculi frigidioris, hepatis non ad extremum calidi, haustum aquæ concessimus, qui felici etiam successu multa immutavit. Nisi quod post aliquot dies in hypochondriis ventriculoq; dolor, & distensio animadversa, quæ adplicatione enematis curata. Post usum potus balneum accessimus, & stillicidio ad brachium usi sumus, sed inter balneandum compressionis sensit incommoda, circa ventriculi orificium & præcordia. Crediderim hoc inde fieri, quod Thermarum calore flatus crassiores adtenuantur, & ita diaphragmatis horum impressione motus fiat fortior, ac etiam pulmonibus, cordiq; hoc symptoma communicetur. Sed sperandum usu Thermarum hoc omne lenitum iri. Neq; enim quæ à multis annis naturæ insedêre, paucis diebus vel septimanis corrigi possunt. Quod ad brachium attinet, ex mineralium natura, quarum vires Thermæ

possi-

possident, omninò spes confortationis expectanda est. Nam cùm repositio sine reprehensione sit, forti autem dislocatione, hinc inde, nervi & tendines musculorum suo loco dismoti, & dislocati, Thermarum harum usu emendationem sperare Thermæ ipsæ jubent. Nunc

1. Ex temperamento & Thermarum natura in medium consulendum, ne ægre ferat, statim initia ex animi sententia quod non procedunt.

2. Diæta commoda in & post balneum ordinanda.

3. Acidulis an utendum post usum Thermarum Determinandum &c.

# EPISTOLA IX.

## *ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS, &c. SECRETARIO N. N.*

*D. MATTHÆUS KLINGEISEN, S. D.*

IN ADFECTU MORBIFICO Illustrissimi Principis domini mei Clementis-

mentissimi &c. Medicus ordinarius Doctissimus & fidelissimus D. Brand omnia diligentissimè, ac fidelisſime cum circumstantiis ſcitu neceſſariis recenſuit, nec in propoſitorum remediorum genere, qualitate, aut ordine adminiſtrandi ullum commiſit errorem, ut propterea confidam fore, ut Thermarum uſus Illuſtriſsimo Principi, Deo auxiliante, feliciſsimè cedat. Nihilominus cum illuſtriſsimus Princeps meum etiam qualecunq; conſilium poſtulaverit, illud ſuccinctè exaratum transmittere volui, ac meritò debui. Invenio autem examinatis examinandis, Illuſtriſsimum Principem à pueritia taciturnum & cogitabundum, ad mœſtitiam, & melancholiam valdè propenſum. Hujus cauſſa ſunt humores ſuperflui craſsi, & melancholici in liene coacervati, qui multiplicia ſymptomata, ac in primis Flatus, compreſsiones circa cordis regionem in ſiniſtro latere, circa diaphragma, & inflationes ac tenſiones in hypochondriis ac circa renes producunt. His accedunt evapora-

porationes caput petentes, ructus è ventriculo frequentes cum acore, & sapore ingrato os inficientes, atq; ardor ille stomachi nominatur, præsertim quando succi in hepate effervescunt. Deinde Illustrissimi Principis cerebrum intemperie humida cum materia catarrhosa copulata afficitur per sympathiam à calido jecore, consentiente frigido ventriculo ac potissimum, quando excessus committitur vinum fortius crassum dulce ingurgitando, corpus exercitiis ultra modum fatigando, ac sanguinem inflammando, nullum in cibis variis coctu difficilioribus delectum & ordinem observando. Hinc quoq; dolores nephritici excitantur, atq; calculi renalis argumentum, nimirum ingens arenularum copia & grana lapidea cum urina excreta ad oculum patent. Omnes hi adfectus tales sunt, ut Illustrissimo Principi Thermarum usum meritò persuadere debuerint, præsertim cum ex relatione intelligam, imbecillitatem ac motus impotentiam, dextri brachii è luxatione reliquam accedere,

cedere, ad quam corrigendam brachiumq; corroborandum balneum vel maximè eſt idoneum. Nam ad miraculum uſq; membra debilia, & luxata, nervosq; læſos confortat, dolores articulorum lenit, tumores ex adfluxu humorum frigidorum, ut in me ipſo expertus ſum, diſſipat & abſumit. Quia igitur de ſalutari conſilio Medici ex methodi medendi legibus, corpus ad potum, & inſeſſum benè ac ſufficienter fuit præparatum, aqua quoq; Thermalis dies aliquot in juſta quantitate hauſta, quæ alvum purgando officio ſuo perfuncta eſt egregiè; idcirco ut in poſterum Illuſtriſsimus Princeps balneationem, & ſtillicidium diligenter continuet, ſumma urget neceſſitas. Pergat autem in horum uſu adhuc duas ad minimum ſeptimanas hoc modo; ut matutino tempore ad ſummum horas duas aut tres in balneo moretur, poſt prandium autem ſeſquihoram aut duas. Obſervetur, ut aqua ſub ingreſſum ſit tepidior, brevi autem ante egreſſum è balneo aqua calidior immittatur, & brachio

læſo adfundatur. Quod verò ad repe
tionem potationis attinet, ego quid
eam ſuadere jam non poſſum, ne ma
ria peccans, quam inſeſſus ex intimio
bus corporis partibus, & viſceribus
habitum corporis attraxit, ut per por
cutis ſudore aut inſenſibili tranſpirati
ne evaporet, potu iterato via priori è di
metro contraria à circumferentia a
centrum retrahatur. Quod ſi alvi conſt
patio auxilium flagitaverit, poſſunt a
eam ſollicitandam, & infimam regio
nem corporis ab excrementis liberan
dam, ex aqua Thermali præparari clyſte
res, & ſæpius adhiberi, id quod à Medi
co præſtantiſſimo ſæpè atq; iterum ten
tatum fuiſſe animadverto. Eſt enim hoc
remedii genus ſaluberrimum, tutiſſi
mum, ac minime formidoloſum, uti non
nulli imperiti imaginantur. Multò mi
nus verò Acidularum in Thermis Caro
linis ſcaturientium uſum Illuſtriſsimo
principi ſuadeo, cum ventriculus imbe
cillitate è frigida dyſcraſia laboret. Ac
cedit quod Acidulæ in loco illo non
mun-

mundæ conservantur. Egranæ verò longius dissitæ facile in itinere alterantur, ac multum virium amittunt. Et licet tantummodò ad vinum diluendum eas tutò, & efficaciter adhiberi posse opinatur nonnemo; vereor tamen, ne in permistione alterum alterius vires mutet & minuat, omninoq; , ut mea fert opinio, debilitet, ventrisq; tormina excitentur molestissima. Certum enim est Acidulas statim à scaturigine haustas haberi efficacissimas. Potius adversus immoderatam sitim probarem Julebum præparatum ex aqua fontana clara electo cinamomo, & Zuccharo albo præstantissimo alterata, per manicam Hippocratis filtrata, gustui gratissimum, cujus componendi modum Medico præsenti doctissimo notissimum esse nullus dubito. Ad finem tandem perducta lotione, Illustrissimus Princeps triduum det quieti, viriumq; refocillationi, deinde sorbeat potiunculam sudoriferam ex optima Theriaca Veneta præparatam horis tribus post cænam, quando se cubitum confert,

ac superdormiat, maneq; die sequ
jejuno adhuc stomacho, in vapo
benè sudet; id quod vel in oppid
rolino, vel etiam in itinere in cor
do hospitio, fieri potest. Nec mu
refert, etiamsi hæc sudoris prolec
integrum octiduum, post absolutu
sessum, differatur. Theriaca per nc
à calore nativo ad actum deducta,
niversum corpus, ac in primis vena
nutissimas capillares vocatas, ad c
desinentes distribuitur, ac facilius
rem movet, expellit superfluas hu
tates tam eas, quæ à morbifica ma
quam quæ ab aqua Thermali sun
quæ, omniaq; membra corroborat
jus administrationem Excellenti
Medico relinquo. Insuper ab aquæ
malis usu longo etiam hoc animad
tur, quando nimirum benè & effic
operata est, quod ægrotantes frequ
sub discessum insignem defatigati
& lassitudinem membrorum pe
unt, ut multi opinentur, Thermas
tudines potiùs auxisse quam dep

Hoc Illustrissimi Principis animum heroicum neutiquam perturbet, aut dejiciat. Varii enim generis excrementa longo tempore in corpore collecta paucis diebus, aut una & altera septimana, sine virium aliqua jactura non omnino expurgantur, & absumuntur, unde lassitudinem quandam è diuturno usu etiam aliorum medicamentorum oriri, viresq; demum post menses recolligi, ac restaurari, videmus. Tandem domum cum venerit Illustrissimus Princeps, bonam ac salubrem victus rationem instituat, ac in ceteris rebus non naturalibus, ex præscripto Medici sui fidelissimi, & prudentissimi vivat, quo, Deo nostros conatus fortunante, ac votis felicem successum donante, diuturnâ sanitate fruatur, subditosque suæ protectioni concreditos gubernet felicissimè.



# EPISTOLA X.

## CLARISS. Dn. D. ERNESTI SONERI MEDICI NORIbergensis &c. Relatio.

TRIENNIUM EST PLUS
nus, ut audio, ex quo levis
ardor, nonnullaq; mictionis diffic
Nobilissimum virum cæpit adfli
Quam etsi ille innato robore conte
ret, minorisq; faceret, quam cui sol
esset quærenda medicina; hau
quam tamen illa cessavit sponte,
natura, victusq; bonitate eò devict
quin repetitis crebrò vicibus mole
se pergeret. Neq; verò aliter fieri
rat in hoc vitæ genere, quod ut ani
gravi solicitudinum, curarumq; p
re nullo fine fatigat, ita corpus nim
tempestivoque motu atterit, noct
diuturnisq; laboribus conficit, &
git. Biennio post, id est anno uno
retrò molesta admodum ad pectu
cubuit destillatio, quæ etiam Medi
pem implorare coëgit ægrum; q
men Medicus parvi faciens tussicu
parum quoq; curiosè tractavit ca
rum, omninò contra voluntatem N
lissimi patientis, ex hoc catharro n
quid mali augurantis. Interim du

grè ſolvitur deſtillatio, nova & inſueta mala accedunt, quæ ingentiſsimis cruciatibus indies augeſcentibus miſerrimè ægrum in hunc uſq; diem per intervalla torquent, quibus non parum incrementi addidit acerbiſſimus ex unicæ prolis præmaturo obitu luctus. Iſtarum verò ægritudinum naturam non facilè eſt explicare, cum magna ſymptomatum varietate nova ſubinde facie Medico ſeſe oſtendant. Aucta quidem urinæ difficultas, ardor, & ſtillicidium urinæ. Dolores oborti inter nephriticos & colicos ambigentes, qui etiam ſemel, poſt copioſiſſimum vomitum craſſæ & viſcidiſſimæ pituitæ bili flavæ miſtæ diſparuerunt, magno ægri levamine. At nunc rarò dolent lumbi. Nonnunquam dyſenteriæ ſimiles videbantur, conjecturam facientibus excrementis inſignia ramenta ducentibus, ſine tamen cruoris manifeſta adſperſione. Aliquando, immò ut plurimum teneſmum putares, aut cæcarum Hæmorrhoidum tuberoſas prominentias, quia vix ullæ ſine ani do-

lore sedes. Immò & ipsa Musculi spl
cteris manifesta ad sensum læsio ho
pertè loquitur, quæ tanta est non rar
propter inflammationem clysterem
admittat. Hinc malum communic
partibus urinariis (ob viciniam & c
nexum, quo duo inferiores penis mu
li ani sphincteri, exortu suo, jungun
& membrana in Peritonæo commu
vesicam & rectum intestinum colliga
præ dolore convellantur, urina invo
tariè exeat, penis retro in corpus tr
tur penitus, ut quasi totus abscond
maximo cum cruciatu, adeò ut to
corpus inde tremiscat. Et quantò
vior præcessit excretio alvi, tanto di
lior atq; dolorosior postea mictio
tingit. Atq; dolores isti septima ma
na, quartaq; vespertina circiter suas
runq; habent exacerbationes. rariq;
tereunt dies, qui Nob. V. quietu
nunt, tametsi aliàs gravius, aliàs l
adfligatur. Hæ sunt actiones læsæ
doloris modus, hæc varietas, qua
minorem videre licet in Excretis.

næ crassæ, oleosæ, subjugales ut plurimum, in substantia potissimum peccant: aliquando cum sedimento laudabili, maximè ubi nox quieta præcessit, nonnunquam sabuloso, arenoso, immò ferè semper, interdum purulento, sæpius mucoso, rarò nullo: Colore subnigro, vel flavo, sæpè naturali & sanæ urinæ persimili. Non ita pridem carunculam minxit duræ & compactæ substantiæ: & laminam plumbeam nuper suis ipse manibus è glande extraxit, cum magno dolore isthuc simul cum urina protrusam. Alvi porrò excrementa tam mira varietate ludunt, ut dici nequeat. Nunc Spongiosæ excernuntur carunculæ, fecibus mistæ, mox subsequuntur pelliculæ similes colore & figura floribus fabarum, desinentes in longum albumq; pediculum, qualis est nervus ille, qui in Atheromatum Steatomatumq; folliculis cernitur, quasi & ipsæ sint folliculi, quibus carunculæ istæ comprehensæ fuerint. Feces aliquando liquidæ, variegatæ, punctis albicantibus, nigris, cinericeis velut de in-

dustria interstinctæ. Non raro mera
ta pituita, instar fusi vitri, eaq; pleru
pauca, & magno dolore excreta. A
quando dura sunt excrementa, solida,
gra, adusta, instar stercoris caprilli in p
vos globulos formata. Nonnunqu
portiunculæ adiposæ, flavæ, quæ igni
motæ ardent, duræ. Qualia, qualia
tem sunt, cum dolore semper dejicii
tur, aliàs graviore, aliàs mitiore. Et a
madversum est, post sævissimos dolo
plerunq; vel vitream pituitam exce
vel aliàs vario colore, viridi puta, fla
cinericio depictas, atq; graveolentes
ces, cum granis adiposis albicantibus.

Hæc sunt ista mala quæ V. Nobi
simum miserè discrutiant, quæq; nu
hactenus medicamentis exstirpari
tuere, utcunq; aliquando remisisse
derentur.

Remedia autem, quorum usu mel
aut pejus habere visus est, hæc ferè su
Cerevisia calida cum butyro recenti,
oleo olivarum à jejuno pota: jus c
nium cum oleo amygdalarum dulciu

& ſpiritu Terebinthinæ: pilulæ ex Terebinthina ex deſcriptione clariſſimorum & excellentiſſimorum Medicorum Electoralium: Lac cum melle: Syrupus Althææ Fernelii: Decoctum Guajaci ſudoriferum, cujus uſu oleoſitas illa urinis innatans magnam partem evanuit, & dolores conquieverunt toto uſurpationis tempore, poſt redientes & augeſcentes quotidiè: diuretica calida & acria, quod mirum eſt. Frigidorum diureticorum uſus nihil unquam, aut valdè parum contulit ad ſenſum, ut & Caſſia. Neque prætereundum eſt, ſumpto cibo & potu largiore frequenter miteſcere omnia. Hic eſt caſus, quem partim ex relatione Nobiliſſimi ægri, partim ex Medici adſtantis ſermonibus & literis, partim ex iis, quæ ipſe coram intuitus ſum, & obſervavi proximis hiſce paucis diebus, ita delineare potui ac debui. De quo meritò omnes docti accuratè cogitabunt, tum propter ægri dignitatem, tum propter artis Medicæ honorem, quæ magno ornaretur trophæo, ſi ſalutaria huic adflictio-

flictioni remedia ex Æſculapii ſcrin
proferre poſſet.

Ceterum, quia viſum eſt non nen
ni, omnia commemorata mala in calc
lum veſicæ referre, cum aliquali partiu
urinariarum eroſione, ſeu exulcerat
ne: quid ego de horum ſymptomatu
cauſa ſentiam, quis morbus ſit, expona
Mihi ſanè dicta Symptomata diligen
perpendenti, & coram intuenti dubiu
non eſt; Internam quandam exulce
tionem unicam, aut ſaltem potiſſim
omnium malorum iſtorum cauſam e
ſive ea ab antecedente catarrho acri
ta ſit in ventrem delapſo, ſive, quod
hementer ſuſpicor, ab acri aliquo, &
rodente veneno, ceu ſunt cantharid
ſive alia quacunq; de cauſſa, de qua
præſentia non multum laboro: eamd
exulcerationem eſſe inſignem, antiq
tam, & jam factam mali moris, ut hur
res adfluentes mirè, varieq; corrum
adquiſita intemperiei pravitate; & qu
ſi in fiſtulam nondum abiit, ſaltem in p
pinquo eſt, mox abitura.

Loc

Locum verò adfectum esse intus in regione Perinæi, qua rectum intestinum vesicæ, communi à Peritonæo mutuata membrana adnectitur, ad radicem penis, ita tamen, ut altius penetret fistulosum ulcus (si ita adpellandum sit) ipsumque Mesaræum bonam partem tangat. Neq; tamen negaverim adesse posse calculum, qui dolorem exasperet, aut urinariorum vasorum excoriationē. Quin potius firmiter persuasum habeo, vesicam, & fortè etiam renes, peculiariter simili, quo intestinum rectum, modo esse læsa, nec ab hac labe immunem esse virgam ipsam. Sed quî omnia Symptomata huc referam, non video. Nam primum calculus continuè adfligit, aut saltem non per ordinatas periodos. Deinde ut taceam multa alia, quî potest tàm variarum excretionum per alvum esse causa? Vidi ego nuper sedem hujus Nobilissimi patientis similem Ostreæ, quæ constabat pituita crassa, aut mucore crasso, livescente, una parte fusco, quasi nigricans cruor puri mistus esset. Quî tan-

tos cruciatus inter desidendum sentit patiens in ano potius, quàm in vesic Stante verò eo, quod de adfectu ipso, loco adfecto adservi, non est difficile mnium reddere rationem. Nam ani stulam, præter cætera symptomata, c mitantur tenesmus, & Stranguria, tel Paræo lib. 10. Cheirurgiæ cap. 23. quc de ulcere non fistuloso non minus v rum est. Ulcus autem hoc ut creda nondum contraxisse callum, id est, no dum esse factam fistulam, facit exqui tissimus dolor. Hinc quoque patet, cu patiens se nequeat ad terram inclin re pronus, quia hac incurvatione per næum tenditur, vesica abdominis con pressione premitur. Patet cur doloro sæ sint sedes transeunte vel vitrea, vel a cida, salsa pituita, aut biliosis acribus ex crementis, nempe ob ulcus recti intesti ni. Patet cur vesica doleat exoneratic ne alvi. 1. ob vicinitatem & connexic nem, quæ consensum parit. 2. quia i psius quoq; sphincter adfectus est, und compressus à compressione abdomini

inte

inter excernendum vehementissimè dolet, adeò, ut propter doloris exsuperantiam non raro convellatur, ut & musculi penis, unde involuntaria mictio sequitur, & penis intra corpus retractio. Imò totum nervosum genus in mali societatem trahitur, concutiturq; horrore. Patet item cur vesica plena existente minus dolorosa fiat mictio, quia minor conatus. Manifestum est quoq;, cur post cibum sumptum melius habeat æger, cum suavi recentis alimenti halitu ceu anodyno aliquo partes adfectæ blandè perfruuntur, & largior potus urinæ acrimoniam temperat. Hinc etiam pinguia cum spiritu Terebinthinæ juvarunt; Terebinthina crassos humores attenuatos facilè educente, quod & calidà diuretica præstiterunt, pinguibus autem partes ulceratas, adversus dolorem, ab acrium transitu imminentem, munientibus. Frigida verò semina, etiamsi emulsione sua partes lubricare potuerunt, frigiditate tamen crassitiem auxerunt, excretionis urinæ impedimentum.

Cæterum quod periodo ordinat
deant exacerbationes, caussa esse p
ordinatus humorum acrium mali
rumq; adfluxus, qui modus period
in multis aliis morbis, à defluxu hu
rum dependentibus, veluti sunt ul
maligna, deprehenditur. Vomitus
& decoctum sudoriferum levarunt
dam modo ægrum, quia humores
diverterunt, qui adfluere, doloren
caussare poterant.

Iam excreta ipsa fortè ex hoc f
explicari possunt. Etenim ramenta
tio expulsa erosionis principium si
carunt : postea ad malignitatem
gresso ulcere, tum propter loci de
tatem, tum propter continuam eq
tionem, tum denique, quia ignoto
culto conveniens medicina non fui
hibita, in varias formas humores a
entes depravati sunt : unde ista o
cea, ut sic adpellem, excrementa m
sa, semipurulenta, semicruenta. Ta
si & primam coctionem non prol
hoc aliàs robusto corpore peragi,

planè sit persuasum; sive id proprio ventriculi vitio fiat, qui tamen benè appetit, sive propter errorem externum, puta labores intempestivos, immoderatas vigilias, lucubrationes &c. Nam in cibi potusq; tam qualitate quam quantitate æger est continentissimus. Indicat autem hanc coctionis læsionem tum copiosa pituita per vomitum alvumq; rejecta, itemque flatus. Carunculas porrò, & adiposa grana excrementis admista ego ad mesenterii vitium, quod supra hanc ob caussam coadfici dixi, libenter referrem. (Glandulosa enim, & spongiosa caro fuit, ut audio, non fibrosa; nunc enim nihil tale amplius dejicitur, quod ipse intueri queam) Namq, tot steatomata sive atheromata in hac parte nasci posse, suis folliculis contenta, pediculisq; nexa, ut ferè pelliculæ istæ fabarum floribus similes innuunt, ego adserere non ausim; doctioribus cogitandum relinquo. Vidi equidem in Italia Patavii puellam catalepticam, quæ singulis diebus maximam caruncularum copiam vomi-

tu rejiciebat, non sine admiratione H
culis Saxoniæ, aliorumque Medicoru
qui caussam investigantes, nunquam p
vestigare potuerunt. Eam verò car
culam, quam Nobilissimus patiens r
ster cum urina excrevit, arbitror ὑπ
σάρκωμα, fuisse ulcerati vesicæ musc
aut etiam virgæ. Lamina plumbea
tracta nihil mihi facessit negotii, c
eam imprudenter deglutire potu
cum ficedula, aut palumbe à venat
plumbi grandine trajecto. Si enim a
culæ, & alia majora, ut testantur hi
riæ, per os adsumta secedere potueru
per vias urinæ; quid mirum de hac la
na à globo plumbeo illisu avulsa? Post
mò urinæ accidentia omnia ad ren
calorem colliquativum, vesicæ & vir
exulcerationem, nec non materiæ
ventriculo communicatæ crassitiem
ferri debere, nemo non videt. Et h
mea est sententia de natura horum n
lorum, quæ virum Nobilissimum
hactenus discruciarunt. 9. Octo-
bris 1603.

E

# EPISTOLA XI.

## *EIUSDEM D. SONERI &c.*

AMMONIUS GRÆCUS ARIstotelis interpres testatum reliquit, Optimè curaturum illum Medicum, qui optimè morbum cognosceret. Quare cum ex casus propositi enarratione, Symptomatumq; in causam suam reductione, morbi natura satis jam, ut arbitror, sit manifesta: minus etiam difficile fuerit, scopos curationis eruere, ad quos Medentem actiones suas dirigere oporteat. Illi autem sunt. I. Providere toti corpori, ne quod malum parti adfectæ suggerat, seu sponte, seu topicis postea remediis irritatum. II. Ut ulcus sordidum abstergatur, purgetur. III. Ut exsiccetur, eversum partis ulceratæ temperamentum in melius restituatur, ne humores adfluentes maligna sua temperie in tam varias excrementorum formas depravet: imò ne immoderatius humores huc veluti ad Cloacam delabantur,

quæ non minima causa est, ob quam
cera maligna difficilius sanantur. IV.
ulcus carne repleatur. V. Ut cicatr
obducatur. Hos scopos si obtinuerim
omnia evanescent mala, quæ huc u
Nobilissimum ægrum ad necem pc
adigunt. Etsi verò haud levis ope
sit, ea polliceri, aut præstare: nihilo
nus desperandum non est, spem faci
tibus ægri natura validissima, obedi
tia, & quod ulcus, cavernosum licet, n
dum tamen in fistulam degeneravit;
quidem sensus exquisitissimus indica

Equidem vocatus à Nobiliss. æg
spe fretus auxilii divini, ita his scopis
tis facere sum aggressus. 20. Septe
bris, ad primarum viarum expurga
nem, bis eodem die injici curavi h
clysterem:

℞. *Malvæ, Bismalvæ an. M j.*
*Parietariæ, Mercurialis, Centaure*
*min. an. M ſ.*
*Furfuris macri p j. Sem. lini. ℥ iij.*
*Summit. Anethj p j. Coq. in jure c*
*nium q. ſ.*

℞.

℞. *Colaturæ ℥ viij. Mellis rosati colati ℥ j.*
*Ol. Absinthii, violarum an. ℥ jß.*
*Vitell. ov. num. ij. Misce pro enemate.*

Postero die jussi, ut sequentem bolum deglutiret, quo & ventriculus, & superna intestina, ad quæ non pertingit enema, ab omni prorsus sorde liberarentur.

℞. *Cassiæ nov. extractæ ʒ vj. El. Catholici ʒ ij.*
*Spec. Hieræ simpl. ʒ ijß. Cum Sacch. f. bolus.*

Die sequenti vena malleoli aperta est (quia non ita dudum brachii venam secuerat) ad divertendum aut revellendum quidquid pravi per emulgentes ad renes, atq; vesicam ferri posset. Sanguinem vidimus crassum, crudum & pituitosum.

Exinde ventriculo & Hepati roborando studui, ut probus Chylus, & temperatus sanguis fieret: ante cibum quidem corticibus citri conditis, Post cibum diacydonio simplici, aut Elect. tali.

℞. *conf. Rosarum ℥ iij. Rad. cich. cond. ℥ j.*

*Cort. citri cond.* ℥ *j ſ. Ambræ gr. V.*
*F. Elect.*

Hinc purgatus eſt Nobiliſſ. patiens h vino medicato, quod plurimum contu.

℞. *Abſinthij pontici* ℥ *ſ. centaurei min.* ʒ *j ſ.*
*Cardui benedicti. Agrimoniæ an.* ʒ *j*
*Florum cord. Rad. Apij, Petroſeli, Aſp. ragi, Ruſci,*
*Fœniculi, Graminis an.* ʒ *j. Scorzoneræ* ʒ v.
*Cuſcutæ* ℥ *ſ. Fol. Senæ* ℥ *j ſ. Rhab. el.* ʒ *j.*
*Mechoacannæ, Turpethi an.* ʒ *ij. Macis, galangæ an.* ʒ *ſ.*
*ZZ.* ℈ *j. cinam.* ʒ *j. Tartari* ʒ *j ſ.*

Inciſa infundantur in ſeſquimenſura vini albi.

Ita quidem toti corpori, ac primis viſceribus proſpexi: atq; hactenus omnia benè tulit patiens, præterquam quod ſub finem purgationis dolor exaſperatus fuit, propter crebram excretionem, & quod ulcus jam deterſum acutius ſentiret, transfluentium humorum acrimoniam:

niam: qui tamen dolor paullatim remisit, postquam ad particularem ulceris curationem perventum fuit, his quidem remediis. Primò omnium paratus fuit insessus ad doloris mitigationem potissimum directus, ex herbis emollientibus, Chamæmelo, Meliloto, Parietaria, Absinthio vulgari propter Stomachum; Veronica, Fragaria propter partes urinarias: item ex plantagine sacculus factus fuit, cui insideret in balneo: & ipsi pubi Sacculus ex prædictis herbis in insessu appositus est, Terebinthinam assumpsit hoc modo paratam, hora una ante insessum.

℞. *Terebinth. cypriæ ter lotæ aq. malvæ* ℥ j.
*Aq. Petroselini, Malvæ an.* ℥ j.
*Ol. Amygd. dulc.* ℥ j ſ.

Dissolve, & f. potio repetenda bis aut ter in septimana.

Huic balneo paullatim additæ sunt herbæ consolidantes, ut consolida Saracenica, Arnoglossum majori quantitate, Pimpinella, &c. quo usus est bis in die primum, deinde semel, postea alterni-

diebus. Post balneum, absterso sudore, lumborum regio inuncta fuit hoc linimento.

℞. *Vnguenti Rosati* ℥ j. *cerati Santalini* ℥ ʃ. *Trochisc. de camphora* ℈ ij. *Ol. Nymphaeae. q. ʃ. F. linim.*

Perinæum pariter, & pubes inuncta fuêre primò linimento facto, ex unguento dialthæa; Rosato, ol. vitellorum ovorum, violato. Post aliquot dies paratum fuit aliud ex Mucilagine sem. cydoniorum, psyllij, Althææ, lini, cum aquis parietariæ, & Althææ, & pauca cera, aliisq; adpropriatis. Illis diebus, quibus Terebinthinam non assumpsit, ante insessum deglutivit Trochiscum unum Alkekengi pondere ʒ j. & superbibit haustum unum decocti chinæ, quod non pro sudore, sed pro potu quotidiano hoc modo parabatur.

c℞. *Radi. chinæ electæ* ℥ j ʃ. *Scorzoneræ, Glycyrrhizæ an.* ℥ j. *Passul.* ℥ ij. *Galangæ* ʒ j ʃ.

Coq. lento igne sec. artem, vase benè lauso in aquæ fontanæ libris xv. ad consumt.

ſumt. tertiæ partis. Hoc decocto uſus eſt etiam ad paſtum cum pauco vino. Veſperi ante cœnam bibit brodium Gallinarum, cui incoxerint ſemina malvæ, rad. petroſelini, & Cichorii.

Ex hac cura per dies 14. continuata eouſq; perductus eſt æger, ut & de nocte dormiret ſuaviter, & dolores diurni quoque remitterent, nec certis periodis repeterent; excretiones & rariores & faciliores minusq; doloroſæ fierent. Imò, quod majorem ſanationis ſpem præbet, manifeſtiſſimum pruritum & titillationem loco doloris in partibus adfectis ſenſit, quaſi jam pluſquam ſemicuratum eſſet ulcus: & faſſus eſt 11. Octobris, Se jam quidem non videri ſibi amplius ægrotare.

Cæterum cum ego 9. Octobris rurſum vocatus hunc curationis ſucceſſum non contemnendum animadverterem, cupiens accelerare firmam ac perfectam valetudinem, decocto Chinæ ſupra deſcripto addidi virgæ aureæ, Arnogloſſi, pimpinellæ an. M ſ. Verum hic potus

non ita gratus fuit, ac post primum ejus haustum Nobiliss. patiens profitebatur, se habere pejus. Et cum de nausea aliqua conquereretur, ego memor vomitus spontanei, qui valdè levaverat ægrum, cujus causam in casu exposui, tentavi provocare vomitum oxymelite helleborato: cum non succederet, aquam tepidam cum oleo olivarum propinavi, quã pariter retinuit, neq; ad vomitum adduci potuit: sequuta est sedes copiosissima, quam oxymel concitaverat deorsum vergens. Hinc dolor ingravescebat, primamq; sævitiam exercebat, qui triduum ferè lecto adfixit ægrum

Reductus est ad balneum, post balneum repetitæ sunt inunctiones perinæi, & pubis, post inunctiones cataplasma adplicitũ est ex Althæa, Branca ursina, violaria, Rosis siccis, Arnoglosso, pimpinella, consolida Saracenica, Radicibus filicis, & Dracontij cum farina fœnugræci, & adipe cervino &c. Omnia mitiora sunt facta, ita ut primo bonitatis statui iterum propinquus esset æger. Interea plurimum

mum purulenti, ſabuloſi, craſſi, fœculenti tam per urinam, quàm per alvum deceſſit, ex uſu Terebinthinæ & Trochiſcorum Alkekengi, id quod, quia nondum probè expurgata erant ulcera, Recidivæ fuit cauſſa. Hic eſt ſtatus nobiliſſimi viri ad hunc uſq; diem 20. Octobris, cujus curam in poſterum ita pertexere animus eſt.

Terebinthinam, ut ſupra, ſingulis ſeptimanis ſumet bis aut ter, & poſt horam unam repetet inſeſſum illo die. Cæteris diebus bibet idem decoctum Chinæ, ſed fortius, id eſt, cum minori copia aquæ paratum, ut ſudorem moveat, pro diverſione materiæ urinariæ, ut interim natura non irritata ab urinæ acrimonia aut impedita, tota ſit occupata in conſolidatione ulceris. Poſt ſudorem adhuc ante prandium ſumet Trochiſcum unum Alkekengi, nunc cum opio, nunc ſine opio, alternatim: cum hauſtu uno brodij Gallinæ. Veſperi capiet morſellum unum ex præſcriptis.

℞. *Rad. Chinæ pulver*: ℥j.

*Tro-*

*Trochisc. Halicacabi sine opio* ℈ ij.
*Succini albi* ℈ j.
*Spec. Diarhod. Ab.* ʒ. ß.
*Pinearum, Pistaciorum an.* ʒ j ß.
*Cort. citri gr.* xv. *Sacchari dissoluti in aqua*
*Veronicæ cum vino destillatæ* ℥ iiij.
*F. Morselli. S. A.*

Brodium vero Gallinæ alteratum esse debet cum semine Malvæ, Rad. Petroselini, Cichorij, & virga aurea. Corroborantia eadem sunto, quæ supra sunt exposita. Cataplasma continuabitur; Sed indies constringentius faciendum & transmutandum ad formam Emplastri, dum fiat tandem ceratum constringens, & consolidans. In his remediis perseverabit sedulò.

Porrò quia medendi ratio postulat, ut peculiariter quædam inijciantur per Syringam, tum in vesicam, tùm in anum, quod illic hærens ulceri medeatur, neq; de hoc remedii genere Nobiliss. virum monere destiti. Proposui ad anum primum leniora, nempe aquam destillatam folio-

foliorum quercus; hinc progredi volui ad decocta herbarũ consolidantium, vehementerq; siccantium, cum bolo armeno, quem supra modum Galenus, & cum eo alii extollunt: tandem ad balsama: sed talia Nobiliss. patiens neq; vult, neque potest admittere. Cum enim certum sit ani musculum inde constrictiorem fore: necessario majores cruciatus in excernendo sequentur, qui vigilias & alia graviora mala parare possunt. Visum est igitur hucusq; patienti indulgere, & rem omnẽ dictis remediis committere, cum præsertim Chinæ decoctum solum gravissima mala, ulcera dico antiqua & maligna, sæpè feliciter debellarit. Cuncta tamẽ, quæ à me dicta sunt hactenus, Doctiorum censuræ lubens subjicio, meliora ab iis expectans, & in hoc Nobilissimo ægro summa cum fide & diligentia administraturus. 20. Octobris 1603. Aurbacii Palatinorum.



# EPISTOLA XII.

## *NOBILISSIMO DOMINO*

*H. ab E. &c.*

*D. BALTHASAR ab HERDEN,*
*D. LEONARTUS DOLDIUS,*
*D. MICHAEL RÖTENBECK,*
*D. ERNESTUS SONERUS,*
*Noribergenses Medici S.*

SYMPTOMATA, QUIBUS NOBILissimus D. patiens divexatur, non obscurè ostendunt, adesse ulcus magnum intestini recti, proximè inter ani sphincterem & vesicam: quod procul dubio altè ex Mesenterio descendens originem sumsit, adeò ut maximum fuerit in ipso Mesenterio, quod carunculæ, adipes,& nimia puris effusi copia arguunt. Idq; porrò esse cum tumore, quem Steatoma Mesenterii insigne forsan rectè dixeris: hinc indies adiposa excrementa repullulant, & puris non cessat rejectio, parte illius tumoris alia atq; alia successivè suppurante & renascente. Malignum quoque est ulcus, cancri naturam sapiens: talis enim ulceris ferè proprium est,

eſt, tantam excrementorum varietatem fundere: quod fortè cinericiæ illæ, lividæ, ac variæ feces confirmant. Excrementa iſta diutius nonnunquam, quàm par eſt, in corpore retenta ebulliunt, flatus atq; malignas exhalationes ſpirant, accedēte præſertim ventriculi vitiata coɛtione (totā namq; alvinā œconomiam ab hoc malo dudum labefactatā eſſe neceſſe eſt) unde tument aliquando præcordia, flatibus murmurant, &, ſi maligni vapores ulterius progreſſi cor offendunt, lipothymiam adferunt, pectus conſtringunt, quæ omnia mala ſpontina alvi exoneratione recedunt. Conſentit autem inteſtinorum vitio veſica, ob vicinitatē, ipſa tamen dudum primariò quoq; adfecta vel exulceratione, vel eroſione, una cum calculo, ut conjicimus ex rejectis. De renum exulceratione nihil adſeveramus: non carent tamen ſuſpicione. De cauſa procatarctica harum adfectionum non facilè eſt ſententiam certam dicere. Suſpicio eſſe poteſt adſumpti veneni. Potuit tamen & caſus ex equo glandularum
&

& vasorum in mesenterio suscitasse inflammationem, quæ humores adfluentes, quibus commoda & matura expurgatio non fuit data, ad malignitatem tantam traduxerit, indeque hanc adflictionum congeriem pepererit. Quæ cum ita sint, in dubio esse ægri salutem præsagimus, tum ob malignitatem ulceris in profundo latentis, & amplitudinem; tum ob virium præ doloribus defectum: maximè quia tot generosis remediis ritè & cum recta ratione hactenus administratis parum effectum est.

Quapropter omissis iis, quorum usus rectè continuari posset, (præsertim Terebinthinæ, decocti Chinæ, cum vulnerariis herbis, clysterum anodynorum, detergentium, consolidantium, Theriacæ & cynoglossi) itemq; conveniente victus ratione præsupposita, Medicoq; adstanti commissa, de Thermis Carolinis, quod potissimum à nobis flagitatur, quæ nostra sit sententia, breviter exponemus. Statuimus Nobiliss. ægrum non sine spe aliqua illas accedere posse, cum mesen-

mesenterium, intestina, vesicam procul dubio aptius expurgare, detergere, exsiccare, consolidare, caloriq; nativo, qui certè labascit, robur non exiguum addere possint. Neque per hoc brumale tempus multum decedere potest viribus istarum Thermarum, cum suam vim, siccandi, detergendi ac roborandi potissimum ex lapide calcario, nitro, & aliis æquè firmiter atq; in æstate retineant. Illud tamen obstare videtur, quod motu vehementiore isthuc eundum sit. Curabit igitur Nobilissimus æger, ut vel veha, si nives fuerint, vel lectica deportetur, atque illic deinde in aere calidiusculo & sicco commoretur. Modus utendi utilissimus foret enematum, si inferiora solùm intestina laborarent: quia verò incertum est, quam altè ad Mesaræum sese malum extendat, & Renes quoque atque vesicam hujus aquæ fructum sentire intentio sit, Potum, sed interpolatum, semel in die matutino tempore decernimus, ita tamen, ut aqua ipsa ex scaturigine adferatur. Pro

clysteribus verò aqua Thermalis alteretur herbis vulnerariis, verbi gratia, pimpinella utraque, pilosella, Arnoglossa; Pentaphyllo, virga aurea, veronica, foliis & radicibus Cynoglossi &c. nimirum ut vas aliquod aptum & conclusum, herbis & aquis Thermalibus repletum, in scaturigine aliquandiu pro virium extractione detineatur: Usu verò exigente, Terebinthina cum vitellis ovorum vel melle colato dissoluta iisdem aquis pro clystere injici posset. Semicupium fortè & ipsum nonnihil prodesse posset, vel solum, vel identidem alteratum cum dictis herbis. Tempus bibendi, ut & mensurã, non definimus: definient ista tolerantia ægri, successus, & Medici præsentis prudentia.



# EPISTOLA XIII.

*CLARISS. Dn. D. ERNESTO SONERO NORIBERG. MEDICO &c.*

D. IO-

D. *JOHANNES HEINTZIUS IN Valle Joach.*

*S. D.*

QUaliter casum Nobilissimi Dn. Ægroti retulerit Dn. Schönius Medicus Aurbacensis, Vir clarissime, amice observande, ex adjunctis (remittendis) videre licebit. Nihil sanè hisce de ulceratione Steatomatica, gravissima certè, quæ non nisi vehementer exsiccantibus, copiaque ad locum adfectum oblatis, curabilis adfectio. Cum sit in loco minus nobili, nullo modo est, quod curam Thermalem dissuadere velim. Aliàs rem in exulcerato vesicæ sphinctere mihi omninò perpendendam fuisse, facilè judicabis. Cumque adfectus sit diuturnus, tantaque auxilia sustinuerit, non est etiam, quod adventum nunc necessitate urgente, impediam: quia lenioribus nihil proficiet, sicuti in aliquibus exulcerationibus, si non iisdem, non multum tamen dissimilibus sub perinæo, expertus sum, uti aliquando co-

ram prolixius Nobilissimo viro exponam. Et intus potissimum adsumendæ sunt Thermæ, iteratis vicibus, ratione renum: promovendæ ut plurimum per intestina. Lotionem localem tandem suadeo, sive particularem, minimè totalem, secundum inferiores partes, suo tempore præmissis etiam injectionibus si contulerint. Erit illi aliquandiu hærendum, si proficere voluerit. Cautè etiam, credas mihi velim, agendum, ne consolidato ulcere incidat in febrem lentam. Quantum per valetudinem potero, vir ille mihi, etiam tui ratione, curæ erit diligentioris, cujus amicitiam mihi conciliatam gratulor, proq; tuis humanissimis gratias ago. E valle Joachimica Cal. Januarij 1604.



# EPISTOLA XIV.

*CLARISS. Dn. D. IOHANNI HEINTZIO MEDICO IN Valle Joachimica &c.*

D. GRE-

D. GREGORIUS Schön MED. Aurbacensis S.

S. D.

MItto tandem ad te, Vir clarissime, Nobilissimum Dn. Præfectum nostrum, qui tuis admonitus literis, veris expectavit amænitatem, non sine dolorum immanitate. Adfectum ipsius è relatione Nobilis. Dn. patientis optimè præsens cognosces, de quo & tuum audire exoptarem judicium. Variæ enim diversæque Medicorum de hac symptomatum congerie, fuerunt sententiæ, quorum aliqui calculum, alii vesicæ exulcerationem, nonnulli Steatoma Mesenterii, plurimi verò ulcus magnum, malignum, cancrosum, & callosum intestinorum, & quidem præcipuè recti; esse voluerunt. De calculo anteà meam tibi perscripsi sententiam, quem horũ dolorum causam esse, vix credo, licet non negem, magnam subesse arenularũ copiam, quæ malum hoc exasperare possunt. Vesicam & spincterem ipsius

læsum,& exulceratum esse,doloris ea in parte pertinacia,& immanitas sat arguunt. Mesenterii vitium quoddam adesse,nunquam negavi: an verò Steatoma sit,primò morbi & adfectus insolentia ac varietate factum,quod de eo adhuc dubitaverim,tandem excrementorum varietate, & frequentia motus, una cum Dn.D.Sonero, & reliquis Medicis Noricis fateri coactus sum: licet adhuc non videam, quo pacto absque insigni Hæmorrhagia tumor hic potuisset expurgari per alvum. Ulcus verò magnum,malignum, cancrosum, & callosum intestinum rectum, cæteraque occupasse ut credam, adduci nondum possum. Dolor enim, ut in dysentericis fieri videmus, extitisset perpetuus; primò præsertim,antequam occaluisset, calloque obducto, dolor nunc rarior, quies frequentior esset. Præterea absque multo cruore ad statum hunc vix pervenisset, cum toto morbi tempore vix decem vel duodecim guttulæ sanguinis in excrementis (quæ diligenter

semper

ſemper exanimata) animadverſæ ſint. An verò febris hanc exulcerationem & inflammationem inteſtinorũ non præceſſiſſet, vel comitata fuiſſet, tibi, vir clariſſime, dijudicandum relinquo: plus certè frigoris, quàm caloris Nobiliſs. Dn. patientem ſenſiſſe, ex ipſo audies. Denique ſi ulcus tàm magnum & malignum in ipſo inteſtino recto eſſet, digito, qui totus absque dolore intruditur, explorari dudum potuiſſet, nec tot Clyſteres absque moleſtia ſæpiſſimè tuliſſet. Nunquam autem Clyſteris fiſtula ano immiſſa dolorem excitavit, aut aliàs quoq; ullum circa partes illas dolorem ſenſit: niſi poſt copioſam alvi dejectionem, qua inteſtinum rectum excrementorum magis acredine, & frequentia læſum, quàm eroſum aut ulceratum fuit. Itaq; potius inteſtina, illorũq; temperiem, ut & totius alvinæ Oeconomiæ, acredine, & malignitate humorum læſa, & labefactata eſſe, quàm verè exulcerata, & cancroſa, ſtatuo: cum dolor maximè tunc infeſtet Nobiliſſimum

Dn.patientem,quando pituitæ viſcidæ, & humorum acrium in inteſtinis, & veſica inſignis hæret copia, qua excreta, dolores mitiores evadunt. Hanc verò ſaburram partim ex tumore Steatomatico,partim ex humorum ad pancreas& meſenterium confluentiū colluvie collecta provenire, malignitatemque adquirere,multis adductus rationibus mihi perſuadeo: à qua ſubjectæ, & vicinæ partes inteſtina & veſica,non modo coarctantur,& comprimuntur, & ad munia naturalia perficienda pigriores redduntur; verum etiam inſigniter læduntur & immutantur: Veſicam quoque plus,quam inteſtina hac adfici, & immutari,ſymptomata ſuperioribus meis literis conſignata, manifeſtò convincunt. Ardor enim ille urinæ inextinguibilis,& ſtillicidium perpetuum tantummodò moleſtare Nobiliſs. D. patientem pergunt, reliquis accidentibus vel medicamentis planè extirpatis, vel aliquantulum mitigatis. Vnde non modo per accidens, ſed primariò quoque veſi-

vesicam adfectam esse, & vel erosam, vel exulceratam, judico. Causam procatarcticam malignitatis hujus venenũ adsumptum, ante quadriennium, statuo cui lapsus gravissimus cum equo suppetias ferre potuit, & glandularum, vasorumque mesenterii suscitare inflammationem: de quibus fusius Nobiliss. Dn. Præfectus tecum conferet.

Communi verò consilio omnium Medicorum ad Thermas carolinas Nobiliss. hic patiens ablegatus est: utpote quæ mesenterium, pancreas, intestina, & vesicam aptius expurgare, detergere, exsiccare, consolidare, caloremque nativum roborare possunt, quam alia Medicamenta, licet etiam generosissima, & plurima fuerint adhibita, sed incassum omnia.

Purgationem & sanguinis missionem si qua opus fuerit, ad tuum distulit congressum. Mannâ hactenus inter omnia purgantia felicissimè usus est, cujus unciæ duæ in decocto Rad. Cichorii & passularum dissolutæ maximam aquæ fœ-

tidissimæ expurgarunt copiam: Vini quoque purgantis è foliis fenæ, roremarino, violaria, & parietaria haustum hora una & altera ante prandium, jejunus non incommodè adsumpsit. Cassia, Aloë, Rhabarbarum, ut & Agaricus, (quod miror) nullo emolumento, sed potius cum detrimento exhibita sunt. Idem evenit variè mistis & compositis exhibitis Catharticis, à quibus plus doloris, quam allevationis percepit. Radicem Mechoacæ in substantia, ut vocant, nondum adsumsit: potest forsan non absque fructu insignis aquæ quantitas ea educi. Venas hoc morbi tempore binas secuit: præterito vere cubiti dextri mediam, & auctumno elapso malleoli dextri Saphenam. In sanguine emisso vitium insigne, aut notabile nullum animadversum. Verùm hæc, ut & Thermarum usum, tuæ, vir clarissime, subjicio censuræ & judicio, qui præsens adfectu exactius cognito, omnia, quæcunque ad Nobilissimi hujus viri sanitatem, Deo clementer adspirante, recuperandam

randam necessaria videbuntur, pro tua in re Medica singulari prudentia, rectius ordinabis: utpote cui vis latens, & abstrusa Thermarum penitus perspecta est. Successum det ille, qui omnia potest, Deus trinus & unus. Vale, vir clarissime, literasq; has jussu Nobiliss. Dn. Præfecti mei exaratas, optimo suscipias animo. Averbacii Palatinorum 7. Aprilis 1604.



# EPISTOLA XV.

## D. IOHANNES RUBIGER

*Medicus Egranus &c.*

*D. Michaeli Reudenio.*

*S. D.*

IN adfectu longè gravissimo ex subocculta causa suborto in Thermas venit vir Nobiliss. Dn. H. ab E. onustus consilio medici collegii Norimberg. & aliorum insignium in palatinatu electorali virorum. Hic ut ritè Thermis utatur, indiget præsente Medico: te ipsi nominavi. Accersitus præstabis te ipsi fidelem & facilem. Erit tibi id eò commo-

commodius, quod jam præscriptum habeat, quid in singulos dies agat. Maximum negotium circa adplicationem enematis versabitur. In cæteris posthac consultabimus. Vale. Egræ 27. Aprilis Anno 1604.

## D. RUBIGERI INSTRUCTIO.

AD quatuor illa mihi proposita, de quibus Nobilissimus Ægrotus meam audire cupit sententiam, respondere me breviter cogunt dolores podagrici, pluribus agere volentem à proposito revocantes. Ad I. Nobilissimi viri casus difficilis & rarus, simulque adsconditus à Medicis clarissimis ita examinatus est diligenter, & ex observatione descriptus, ut nullum sit dubiũ, eos quam proximè ad rei veritatem accessisse, quod etiam modus medicandi, & eventus demonstrat. Posito igitur maligno in locis nominatis ulcere interno cancroso, aut fistuloso, quod simul rectum intestinum, & vesicæ collum corrodit, unde

unde excrementa alvi putrida conſpiciuntur, per urinæ canalem caruncula exivit, nunc dolores maximi in orificio veſicæ ſentiuntur, ante, & poſt urinæ excretionem, quæ nocturno maximè tempore guttatim ſtillat, cum ſenſu doloris calido urina aliàs frigida, duratque ſine intermiſſione, ſingulis horæ quadrantibus. Ex his inquam poſitis conjicio fomitem mali in profundo deliteſcere, unde vicina loca infeſtat, eſſeq; humorem occultum, ad ſenſum quidem ut refert Nobiliſs. ægrotus, frigidū, phlegmá ſalſum, &, uti Medici loquuntur, vitreum, accedente aduſtione, & fortaſſis acrimonia. Et quia excrementa alvi cum aliquali craſſitie, urinæ etiam variæ continuò guttatim ſtillant, ſequitur quod adſit in collo veſicæ exulceratio, quæ in virgæ carnalem uſque ſe extendat. De calculi veſicæ præſentia, nihil certi concludere poſſum. Cum etiam antea caruncula fuerit excreta, quemadmodum quoque lamina plumbea viam ſibi patefecit, ſequitur conſumptio humi-

humiditatis viſcoſæ in glandulis colli veſicæ,quæ communicatur etiam partibus nervoſis,qua de re Nobiliſſimus ægrotus jam conqueritur.

Ad 2. Quatenus à natura excitata ſpontaneæ excretiones ſequuntur, eatenus adfluxus humoris, à viis urinariis, veſica, & virga avertitur, ac ſtillicidium mitigatur. Hoc tamen excipit urinæ ſuppreſſio exquiſitis doloribus conjuncta,quam comitatur tenſio, & quaſi tractio quædam, inprimis in femoris dextri ſuperiore parte & coxa, nervorum, quæ ſatis indicat,quod materia cauſſans ardorem ſit malæ qualitatis, & variè per viſcera diſcurrat, quod etiam ſupra renes & veſicam Hepar, & inteſtina, unà cum cæteris vicinis partibus, læſa ſint, præcipuè partes nervoſæ,propter quam cauſam Nobiliſs.ægrotus verſus dextrā coxam tenſiones ſentit. Accedit nunc demum tumor crurum in regione infima,ex debilitate caloris innati, qui diminutus eſt,& ex deſtillatione malignæ cujus-

cujusdam materiæ, id quod sitis etiam significat præter solitum molesta, cujus tamen alia quoque subesse potest caussa.

Ad 3. Quandoquidem Nobilissimus ægrotus modum curationis per Thermas scire desiderat, hoc do consilii. Intelligo Nobilisſ. ægrotum post adventum in Thermas diem unum & alterum quievisse. Suadeo igitur, ut, quod Deus fortunet, primo die manè Mannã, quam transmitto, in jure pisorum non salito calido benè dissolutam, adsumat, quatuor aut quinque horis ante prandium, ac hoc penè instante, jusculi jam dicti partem superbibat. Deinde commodum mihi videtur, ut Nobilisſ. ægrotus trib9 matutinis bibat de vino medicato quod præparatum est, & his ipsis diebus hora tertia pomeridiana adsumat Syrupũ quẽ mitto, in tres æquales partes divisũ & hora 6. postea cænet. Sequẽti die jejuno vẽtriculo injiciatur Enema secũdũ descriptionem Medicorũ Noribergẽsium

ſium præparatum; ad quod herbas ac Terebinthinam à me accipiet. Vlterius aperiatur vena dextri brachii Mediana dicta ac ſequens dies ſine remedii alicujus uſu tranſigatur. Poſt diem interpoſitum iterum bibatur manè hauſtus vini purgantis, ac ſequentibus diebus accedatur ad aquæ Thermaïis potum hoc modo. Primo die manè bibantur ollarum, quarum novem implent cantharum, numero VII. ſecundò XI. tertiò XV. quartò XIX. quinctò XXIII. ſextò XXVII. ſeptimò XXVII. octavò XXIII. nono XIX.

Ad 4. Quæſitum ut reſpondeam, dico Nobiliſs. ægrotum debere huc usq; in curatione omninò à balneo abſtinere. Quando incipit aquæ potationem debet eam bibere manè jejunus, quam calidiſſimam, pitiſſando, ac lento gradu deambulando, feneſtris occluſis, nec corpore veſtito, quò nimia profuſio ſudoris quam potatio cauſſat, prohibeatur. Ne vomitus quoque excitetur, bibenda aqua calidiſſima, & ſæpius pro-

inde

inde ex fonte petita, nec ingurgitetur confertim, ſed paullatim, ad quod horæ unius ferè ſpatium ſufficiet. Poſt potationem Nob. ægrotus contineat ſe in hypocauſto ad horas tres vel quatuor, quo tempore aqua diſtribuitur, ac operationem ſuam abſolvit. Deinde cibum ſumat, ac in prandii initio de butyro recenti ſalito comedat, quod alii cibi concoctu faciles moderatè ingeſti ſequantur, potusque ſit vinum. A prandio vitentur ſomnus, ac vehementia exercitia, tractenturque potius temporis fallendi gratia, ludicra. Ante cænam deambulationem lentam inſtituat, absq; inſigni labore, cœnamq; parcam circa octavam veſpertinam excipiat ſomnus, quo manè citius è lecto ſurgere queat, & curationem continuare. His diebus ita elapſis Nobiliſs. ægroto ſuadeo, ut inſeſſu utatur aliquot dies, ac deinde potationem repetat, nec ipſum pæniteat longioris temporis ad curationem neceſſarii. Ad balneationem quando accedet, promitto, me conſilio non

 defutu-

defuturum: interim observandum est, quid natura perferat. Quia etiam inprimis propter Clysteris ante aquæ potum, ratione abstersionis, injectionem, Medico præsente opus esse judico, idcircò de hac re scripsi ad Doctorem Schlaccovvaldēsem, ut intersit, id quod Nobilissimi ægroti judicio relinquo. Si, quæ à me præscripta sunt, diligenter & ordinatè fuerint adhibita, spero Deum, cui Nobiliss. ægrotum commendatum volo, gratiam suam nobis concessurum, ut ex eorum observatione etiam locus adfectus exactius cognoscatur. Egræ 27. Aprilis. Anno 1604.



# EPISTOLA XVI.

*D. ZACHARIAS BRENDELIUS PHILOS. ET MED. DOCTOR, ACADEMIAE Jenensis Professor &c.*

D. MI-

D. MICHAELI REUDENIO.

S. D.

GRatæ mihi fuerunt literæ tuæ, Clarifs. & Excellentifs. Dn. Doctor, compater honorande, tum quod plenæ essent amoris & benevolentiæ erga me tuæ, tum quod statum rerum tuarum, quem felicissimum esse cupio, atque opto, mihi exponerent. Etsi enim initia difficultate, & molestiis non carent? quia tamen, ut intelligo, salvus, & incolumis cum familia adpulisti, rem familiarem constituisti, tuas, tuique pharmacopæi fortunas, contra agyrtas, & alias pestes Reipublicæ in tuto collocasti; quo nomiue tibi plurimum gratulor; non dubito, progressu temporis omnia, Deo præsertim, quem religiosè colis, fortunante, magis etiam ex voto successura: Idque ut fiat ex animo precor. De notitia & familiaritate inita cum viris clarissimis, ac peritissimis Medicis, Doct. Rubigero, & Doct. Heintzio, quorum utrique ut data occasione meo no-

mine amanter, & officiosè salutem adscribas, rogo, habes quod gaudeas neq; dubito eorum amicitiam honestam, ac utilem tibi fore.

Quæstio, utrum Thermæ, præsertim Carolinæ, in iis, qui lue venerea sunt infecti, potu, aut insessu adhiberi possint, aut debeant, intricata quidem est, & propter magni nominis Medicos in alia omnia de hac abeuntes, explicatu difficilis. Veruntamen tu pro ingenio doctrinaque tua, in explicanda hac, mea aliqua vel admonitione, vel ope minimè indiges. En ille ipse, quem citas, Mercurialis, etsi simpliciter eas prodesse, pronunciare videtur; si quis tamen attendat, distinctè, & determinatè sententiam suam proponit. Quin & Alexander Petronius (cujus opus de morbo Gallico adjunctum est iis auctoribus, quorum scripta de lue venerea conjunctim Venetiis prodierunt) lib. 6. cap. 27. accuratè hanc quæstionem tractat: accuratissimè verò omnium, quod sciam, eam exposuit Johan. Baptista Sylvaticus contro-

controversia medica 75. Ne tamen laborem defugisse videar, paucis eam attingam, non ut novi aliquid adferam, sed ut ea, quæ allata ab iis sunt, quos modò nominavi, perspicuitatis caussa, in ordinem redigam. Ceterùm orationem placet ad universum genus revocare, cum generali doctrina cognita, specialis facilè per se innotescat. Ac sanè Thermas multi sunt qui credant, non tantum non prodesse in morbo gallico, sed etiam obesse adeò, ut, qui hac lue aliquando correpti fuerint, iis per omnem vitam Thermarum usu interdici debeat. Quam quidem sententiam amplexi sunt Nicolaus Massa, Franciscus Frizimelica, & VVierus in libello Germanico de morbis quibusdam abditis. Taceo quid dicat Hoffmannus de Thermis Hirschbergensibus, Göbelius de Annæbergensibus, & Summerus de Carolinis, qui duo posteriores tamen de insessu tantum Thermarum, & quidem in ulceribus gallicis loquuntur. Andreas verò Baccius, qui de Thermis o-

mnium accuratissimè scripsit, ex professo hanc quæstionem tractans, sententiã hanc, quam modò dixi, summis viribus propugnare conatur: cujus rationes recitat, & refutat Sylvaticus. Ac sanè pro hac opinione, præter experientiam, non desunt rationes probabiles.

I. Quod in morbo gallico hepatis calida siccaque temperies judicatur. II. Quod morbus gallicus diversissimos, ac sæpè pugnantes inter se adfectus etiam in iisdem hominibus inducat: ut de conveniente Thermarum usu statui nihil certi possit. III. Quod humor redundans in hoc adfectu si biliosus sit, atque adustus, Thermarum usu calidior acriorque reddatur: si phlegmaticus, fundatur, & periculosos decubitus, doloresque efficere possit: si melancholicus, terreusque, magis etiam exsiccetur, atq; induretur. IV. Quod partes nervosæ, in quibus materia residet, humiditate Thermarum actuali emolliantur. V. Quod mineræ Thermarum, si ferreæ, & aluminosæ fuerint, vel foris adhibe-

antur,

antur,& tum conſtipatis poris materiam aut detineant, aut etiam introrſum repellant : vel exhibeantur intrinſecus, atque ita materiam coactam altius impingant, & diſtractiones augeant: Si ſulfureæ fuerint, ſalsæ, aut nitroſæ, ea cauſſentur incommoda, quæ ex Avicenna de removendis nocumentis &c. Mercurialis commemorat. Mihi enim brevitati ſtudendum. Quid? quod Baccius omnes hydrargyri aliquid in ſe habere, atq; ita tota ſubſtantia naturæ humanæ adverſari adfirmat, quod ipſum tamen refutavit Sylvaticus. Contra qui prodeſſe in hoc morbo Thermas, aut ſaltem prodeſſe poſſe, contendunt. I. & ipſi ad experientiam provocant: quo in numero eſt Benedictus Victorius lib. de morbo gallico cap. 9. Mercurialis etiam, & Gabriel Fraſcatus, quem citat Sylvaticus. Quin & Baccius ipſe fatetur, viſum ſibi fuiſſe juvenem à morbo gallico ope Thermarum liberatum. II. Auctor eſt Alexander Trajanus Petronius loco allegato, in Indiis Occidenta-

libus non paucos, qui hac lue infecti sunt, statim se Thermis committere, atque, ut audiat, citò feliciterque sanari. III. Seminarium contagii est lentus quidam, putridus, ac sordidus humor, quem cum & attenuare Thermæ, atque extergere, & obstructiones aperire, ac proinde arcere putrediné possint, morbum hunc penitus exstirpare posse videntur. IV. Symptomatis certè tum internis, tum externis, attenuando, discutiendo, abstergendo, & exsiccando, facile occurrunt, ac medentur, quod patet Thermarum mineras sigillatim excutienti.

Verùm hæc controversia ita mihi componi posse videtur, ut I. Statuatur regulariter morbum gallicum Thermarum usu verè ac solidè curari, atque exstirpari non posse? eò quod essentia & natura mali non in manifestis qualitatibus, sed in malignitate quadam

quadam inexplicabili consistat, cui non nisi Alexipharmacum experientia cognitum medeatur. Fieri tamen posse ex eventu & per accidens, ut exstirpetur aliquando Thermarum usu, vel quia, qui ad Thermas veniunt, aliis jam antè remediis specificis sunt usi, vel quia magnum est naturæ robur, vel quia morbus est levis, nec altè radices egit, qualem etiam victu & exercitatione aboleri posse constat. Atque hoc modo accipienda sunt, quæ modò de experimentis, de exemplis Indiarum, & de seminario contagii allata sunt. Simpliciter enim & perpetuò vera non esse tum experientia testatur, tum ratio à natura mali petita, quæ non nisi specificum remedium, & antidotum exigit. II. Non semper ac necessario obesse Thermas in lue gallica, atq; ita ab essentia mali, seu à virulentia gallica, qua talis est non prohiberi, sed respectu habito ad essentiam adfectus

in differentem esse earundem usum. Quæ adsertio itidem tum experimentis modò adductis probatur, tum ratione petita à natura mali, quæ quia occulta est, non mox aut necessariò à manifestis qualitatibus læditur, sicuti videmus morbum gallicum plerunque decoctis calidis & sudoriferis superari, quantumvis renes & jecur ferveant. Contrariam experientiam quod attinet, obsunt aut obesse videntur Thermæ, vel quia morbus ipse natura sua est contumax, cujus κακοήθεια potius, quæ aliorum etiam medicamentorum usu nonnunquam exasperatur, hac in parte, quàm Thermarum aliqua inimica qualitas accusanda: vel quia morbi alii, quibus Thermæ adversantur, cum morbo gallico sunt complicati: vel quia corpora impura, ideoque materia aut fusa aut agitata, aut constipata & condensata noxas inducat: vel quia ægri in victu peccant: vel quia alieno tempore, ut dum fluit materia, Thermæ adhibentur, quæ potius, sedata fluxione

xione fuerant in usum deducendæ: vel quia naturæ motus impeditur, sive materia ad interiora repens vi Thermarum foràs trahatur, sive ad superficiem vergens cute adstricta introrsum repellatur; qua de caussa Petronius scribit, eos, qui sine ulceribus, sine pustulis, sine pilorum defluvio sunt, balneis gravissimè lædi, qui verò his adfecti sunt, sæpius juvari: vel quia non satis diu in earum usu perseveratur; cum materia ab initio agitata molestias inferat, at si insistas, tandem dissipatur atque absumitur: vel quia aliqua alia ratione in utendi & administrandi modo peccatur, ut cum virulentia gallica per totum corpus effusa, neque humores tantum sed & partes solidas occupante, prout hodie moris est, Thermæ confertim, & copiosè bibuntur. Sic enim fit, ut humores quidem, & quæcunque fluida sunt subitò, & violenter vacuentur; sed malum interim, ut rectè monuit Petronius, in partibus solidis hærens, firmius, adeò ut non

nisi

nisi longo temporis spatio tolli queat, relinquatur, verum repentina atq; immodica vacuatione debilitatum corpus ante opprimatur ab eo, quod relictum est, quam instaurari vires ipsius possint. Ad rationem ab hepatis intemperie calida variè respónderi potest. 1. Non semper morbum gallicum intemperiem calidam & siccam producere, ut patet ex iis, quæ de natura mali docentur in scholis, & ex symptomatis, quorum bona pars frigiditatis soboles est. 2. Deinde non omnes Thermas impensè calidas esse, sed quasdam etiam remissum habere calorem, ita ut calorem igneum corrigere queant. 3. Lignum quoq; esse calidum ac siccum, & tamen vi hujus morbum exstirpari. Denique & in ipso usu præmuniri partes illas contra calorem Thermarum posse, & postea ubi cessatum fuerit, noxam, aut vim impressam alterantibus internis, & externis corrigi. Secunda ratio ad symptomata pertinet, de quibus mox. Eadem certè per

tè per se non magni est ponderis,& fortè omninò falsa. Incommoda quæ tertia,& quarta ratione adducuntur, Medicus prudens,& peritus, præscripta legitima utendi ratione, facilè declinabit.

Quartam autem rationem, qua VVierus utitur, Mercurialis exemplo decoctorum ligni, sarsæ, & aliorum, quæ & ipsa actu humida sunt, refutavit. Atq; hæc est secunda conclusio. III. Vt maximè malum ipsum funditus Thermarũ usu exstirpari non queat, symptomata tamen quædam ipsius à quibusdam Thermis sanari posse in confesso est: & probabitur facilè ab eo,qui & symptomatum caussas, & naturam Thermarum perpenderit. IV. Eos,qui semel infecti fuerint gallico morbo,per omnem vitam à Thermarum usu arcendos esse,falsum est. Vel enim malum perfe-

ct

ctè sanatum est, & tunc adfectio, quæ omninò præteriit, nihil indicat: vel morbi quædam reliquiæ supersunt, aut symptoma aliquod adhuc viget, & tum non omnibus omninò Thermis interdici ægris oportere, patet ex iis, quæ jam dicta sunt. Nam neque virulentia gallica, qua talis, sponte nascentium aquarum usum prohibet, & symptomata quædam ipsius quibusdam, hoc est, convenientibus, & accurata circumstantiarum consideratione delectis, ac optima methodo usurpatis Thermis curari posse, nemo facilè negaverit. Quod verò Baccius vulgare illud pronunciatum urget: Morbum gallicum inducias concedere, non pacem integram: non est illud ita accipiēdum, quasi nunquam quisquam integrè curari possit, qui hac lue semel fuerit infectus: Contrarium enim usus propè quotidianus ostendit: sed ἐν πλάτει, quod nimirum ex illis, in quibus virulentia vehementior est, alii difficilimè curentur, alii toto reliquæ vitæ tempore ma-

re malè habeant: sive quod aliqua virulentiæ portio perpetuò supersit, sive quod hæc lues aliam aliquam post se adfectionem relinquat. Et tamen ne tum quidem planè ac simpliciter prohiberi Thermarum usum, ex superioribus facilè colligi potest. Quod si hoc saltem quispiam evincere inde conabitur, quod in præscribendo iis, qui lue venerea aliquando laborarint, Thermarum usu magna circumspectione sit opus; id quidem nos ei libenter ultrò largiemur, ita tamen, ut interim neque omninò omnes ægros ab omnibus Thermis arcendos esse concedamus, neque hic peculiare aliquid in morbo gallico agnoscamus, sed eandem judicii & prudentiæ ἀκρίβειαν non minus in aliis morbis, qui præcesserint, præsertim contumacioribus, & qui altius radices egerint, adeoque vel reliquias quasdam vel sobolem aliquam habeant superstitem, adhibendam esse arbitremur. Atque hæc de hac quæstione in præsentia

adter

adferre volui, quæ tu pro candore tuo, quamvis ſint ſupervacanea, in optimam partem accipias, rogo. Benè vale, & ſalve cum conjuge à memeaque uxore. Jenæ 16. Februarii 1604.



# *Carmen Elegiacum* De Metallis feliciter DEI gratia provenientibus in hoc noſtro territorio circa Thermas Carolinas poſito, ut & de ipſis Thermis earundemque cauſis & utilitatibus &c.

*Scriptum à*

*M. GEORGIO GAECENO,*
*ludi literarij qui eſt apud Ellenbogenſes moderatore.*



*Balnea vivaci nec ſunt temeraria ſucco,*
*Nec validas mentes falſa timere jubent.*

N PRE-



# PRECATIO AD FILIUM DEI Dominum nostrum Jesum Christum saluberrimorum fontium satorem pro conservatione Thermarum Carolinarum.

VRbem hanc Christe Deus præsenti numine firma,
Quæ medicas medico fonte reducit aquas,
Cum Patre cum Flatu qui cuncta Metalla creâsti
Christe DEUS Thermas tempus in omne fove,
Visceribusq; suis ferventes effice venas,
Sic tibi de Thermis gratia grata venit.



Rbibus extructis Deus addidit agmina certa,
Res varias varijs Urbibus atque dedit,
Mutua quo possent servare negocia vitam
Humanam: Magnum est urbium in orbe decus;
Sunt quibus in viridi stipula lactentia turgent
Frumenta, arboreis frondibus arva nitent,
Sunt quibus hic segetes, illic feliciter uvæ
Proveniunt, humor Maßicus unde fluit;
Urbes quid memorem, quæ sunt regione sub una?
Quot variis reddunt fulva metalla modis?
Abdita quæque loca & taciti sub valle recessus,
Æris & Argenti pondera multa vehunt,
Floret in occultu divina potentia terris,
Quarum visceribus dura metalla latent;
Dant ferrum & chalybem, Ebur urbibus India mittit,
Thura Sabæus ager divite copia habet;
Æs est in precio, chalybis quoque massa probatur,
Quam Styria aurigæ curribus urbe vehunt;
Fontibus Hala salis radiat, Pactolus arenis
Aureis, auratis fulget & Hermius aquis.
Quid referam, Scythico quæ splendet in æquore gemmā?
Nobilis Eois quam legit Indus aquis?
Unio num nitido Gangeticus orbe tacendus,
Rore salubri quem concha marina parit?
Quid memorem multis alienæ munera Terræ,
Sunt etiam nostro munera certa solo?

*Hæc, montosa licet, quæ paret Cæsaris auri,*
*Terra metalliferis Boia floret aquis:*
*Valles aßiduis ardent in sulphure fumis,*
*Viscera sed montis nigra bitumina habent,*
*Intima stridenti scinduntur viscera montis*
*Ferro, quod silicis more sub igne salit;*
*Sicut & indomitus curva fornace resultat*
*Ipse silex, ferrum mollit ita ignis edax.*
*Plurima sunt etiam gravis arva feracia plumbi*
*Plurima sunt rutili viscera plena cupri.*
*Nonne Bohemorum rutilans ex vallibus aurum*
*Eruitur, precio quod solet esse bono?*
*Nonne vel argenti vallis Ioachimica massas*
*Exhibet, hinc nummûm certa figura redit,*
*Quæ Cubitensis ager non profert terrea dona?*
*Sulphur & alumen pingve bitumen habet;*
*Fert Cubitensis ager ferri atq; bituminis atri*
*Pondera, quæ variis commoda rebus habent;*
*Quodq; penè tacui dat sylva scoria nomen*
*Urbi, quæ mira parte vel arte cluet:*
*Nam nigri lapides imis fodiuntur ab antris,*
*Hinc virtute ignis stannea massa venit,*
*Ex massa hac variæ sunt stannea vasa figuræ,*
*Quæ decus in domibus convenienter habent.*
*Nec me pœniteat Thermas tetigisse calentes,*
*Dißimilem sed vox non dabit una sonum;*
*Nullus in hoc tractu locus est magis utilis orbi:*
*Nulla sub his oris terra benigna magis:*
*Terra salutaris, venienti ocurrere morbo*

*Quæ solet & medicas eiaculatur aquas.*
*Nullus in orbe sinus Thermis prælucet amanis,*
*Quæ* C A R O L O Q V A R T O *nomen & omen habet.*
*Musa refer causas; gelidum cur flumen ad ægra (*
*Dæpola tam calido fonte reducat aquas?*
*Et cur sulphureas homini medicina per undas*
*Tanta sit ut morbos corpore pellat aqua:*
*( Inferius paulò causam memorabo decentem*
*Quàm Physicus calido dicit inesse solo )*
*Hæc ita suspenso meditor dum pectore nullam*
*Naturæ causam mens mea ferre potest;*
*Quam quod, ut in trito multu sermone probatur,*
*Natura atq; DEUS nil temerè efficiunt*
*Omne quod est supero, quod & inferiore sub orbe est,*
*Quicquid in orbe nitet, quicquid in urbe micat;*
*Omnia sunt nostrum divinitus edita ad usum,*
*Ipse* D E I *causa est ritè creatus homo;*
*Omnia facta* D E I *sese in miracula rerum*
*Transformant, cunctis res sua rebus inest:*
*Cœli torquentur, stellis radiantibus, orbes,*
*Sol & Luna inter currit utrunq; polum;*
*Tempora eunt redeunt Cœli, per sidera, mota,*
*Dant noctem atq; diem sidera magna duo;*
*Ordine mirifico natura sidera currunt,*
*Æqua polo atq; solo dat sua jura Deus;*
*Quatuor atq; hominis, sunt facta Elementa, sub usum*
*Terra gravis, radians Ignis & Aër, Aqua.*
*Ne vacuum quicquam Mundi linquatur in orbe*
*Omnia naturæ semina certa tenent.*

*Nonne vel humentes nebulas roresq; madentes*
*Ventos & pluvias humidus aër habet,*
*Fert varij generis volucres agitabilis aër,*
*Sunt varij generis quæ per inane volant.*
*Squamiferumq; genus, natitant qui flumine, Pisces,*
*Flumine in æquoreo quis numerare potest?*
*Quis numerare potest animalia cuncta volucrum,*
*Pisciferas quæ sunt subter & inter aquas;*
*Rebus terra potens & fertilis ubere gleba*
*Quot vario varias ordine gignit opes?*
*Terra ferax viridi de cespite gramina profert*
*Flores & frutices, herbida quæq; refert,*
*Quis non umbrosis frutices miretur in hortis?*
*Cerea poma gerunt, dulcia pira ferunt,*
*Gramina sunt terris, sunt stramina grata ferarum*
*Pabula, & ad medicas apta fit herba manus.*
*Herbida lascivo carpunt sua pabula morsu*
*Capræ, armenta, greges & pecora & pecudes;*
*Fertilis obliquo tellus renovatur aratro,*
*Ut pecori atq; homini grata alimenta ferat,*
*Frondibus arboreis nitet undiq; floridus hortus,*
*Qui succo profert turgida poma bono;*
*Sunt virides luci saltus Sylvæq; sonantes,*
*Quas capiunt volucres montivagæq; feræ;*
*Sunt etiam saltus habitacula certa ferarum,*
*Et, quæ dulce sonat gutture carmen, avis;*
*Quadrupedum generis quoq; multa animalia profert*
*Terra, boves & oves & leporem atq; lupum,*
*Quodq; solet tacitas inter reptare cavernas*

*Terra*

*Terra reptilium non reticebo genus;*
*Terra bonos homines simul educat atq; malignos,*
*Terra malas herbas educat atq; bonas;*
*Terra salutiferos flores simul atq; nocentes,*
*Purpureas violas puniceasq; rosas,*
*Sæpe latent, quod format apis, sub melle venena,*
*Herba venenata est quæ sine sorde nitet;*
*Terra metalliferas venas eademq; benignas*
*Nutrit, & in venis sæpe venena latent;*
*Omne sed humanum rectè fabricatur ad usum,*
*Quicquid habet tellus quicquid & ipse polus;*
*Motibus assiduis res quæq; feruntur in orbe,*
*Atq; decenter habent singula quæq; locum.*
*Omnia mirificis natura legibus errant,*
*Naturæ Deus est fautor & autor amans.*
*Cuncta jacent subjecta* DEO, *qui conditor orbis,*
*Naturæ Domino subdita cuncta jacent;*
*At Natura vocat sub leges cuncta decentes,*
*Naturaq; sua cuncta sequuntur opus;*
*Magnus homo ratione sui Factoris, imago*
*Cujus erat primo fulgida prima loco;*
*Solus homo sed mente valet, voce articulata,*
*Mente suum noscit voce colitq; Deum;*
*Solus homo ratione valet, cum cætera bruta*
*Omni mente carent, & ratione vacant:*
*Omnia namq; hominis tantum sunt condita ad usum,*
*Ipse* DEI *causa est conditus unus homo:*
*Est quiddam in nobis quod Mens Ratioq; vocatur,*
*Divinum, ostentat Mens Ratioq;* DEUM;
*Sunt homines quasi de cœlesti semine nati,*

*In quibus Exemplum lucet imago* DEI,
*Quæ tamen est miserè primorum labe parentum*
*Corrupta, à Christo sed reparata* DEO.
*Quò tendo? Quo me dicentem cura fatigat?*
*Ingenij quo me fervor & error agit?*
*Incido ut in laudes naturæ, fortè recedo*
*Longiùs hoc, quod erat dicere, mentis opus;*
*Dicere de variis rebus non verba supersunt,*
*Pingere naturam non variare decet;*
*Non mihi si centum sint chartæ carmina mille*
*Omnia naturæ dona referre queam:*
*Terra ferax foris est flores & gramina profert,*
*Cuncta animata fovet bruto hominiq; favet;*
*Terra sed intus habet generis generosa Metalli*
*Tam varij quot sunt æra vel arma foris;*
*Argentum atq; Aurum stannum plumbum atq; Orichal-*
*Nobile cum ferro, mobile hydrargyrion.* *(cum*
*Pro septem numerat quæ vulgus in orbe Planetis*
*Ordine quæ memorat, certa metalla, suo:*
*Assimilant Soli, cœlo qui maximus, aurum;*
*Argentum sumit candida Luna sibi*
*Martia Stella solet rigidum sibi sumere ferrum,*
*Saturnusq; sibi plumbea dona capit*
*Atq; Iovi Stannum referunt, Cuprum Veneriq;*
*Cypridos hinc nomen captat amatq; Venus:*
*Hæc bene qui supero volvuntur in orbe, planetis*
*Septem, ( vulgus ait ) quis tribuenda neget?*
*Cætera non memoro, quæ terra, Metallica dona*
*Sulphur ut est nitrum in calce bitumen, habet;*

*Side-*

*Siderum & influxus fit causa remota Metalli,*
*Et calor & frigus causa propinqua manet;*
*Nam subterraneus calor est qui rite vapores*
*Excoquit, ex certa materieq; trahit;*
*Frigus & Humor eos qui sunt tellure vapores*
*Condensat cogit seu physici referunt;*
*Viscosus terræ succus, qui crescit in imis*
*Terræ visceribus materia esse solet;*
*Principia atq; duo chymici generosa Metalli,*
*Ex quibus hoc fiat constituisse solent;*
*Sulphureum succum dicunt patrem esse Metalli*
*Matris, hydrargyrion, dicitur esse loco:*
*Fossilis at massa hæc variæ accipit ora figuræ,*
*Usum quæ varitum convenienter habent,*
*Nonne vel hinc variæ cuduntur in orbe monetæ*
*Nonne vel hinc redeunt parma vel arma viris;*
*Quæ decus atq; usum sub tecta domestica multum*
*Reddere terrigenis tempus in omne solent;*
*Atq; placet Medico generosa medulla metalli,*
*Sæpe salutiferum quod medicamen habet;*
*Flexibus ambiguis sors cæca vagatur in imis*
*Terræ visceribus sors bona sæpe latet.*
*Dic quibus in terris generentur tanta Metalla?*
*Dic quibus ex terris effodiantur opes?*
*Sunt loca sub terris, sunt infima viscera terræ,*
*Sunt montes fontes qui revocantur humo:*
*Sunt taciti & tecti gelida in tellure recessus*
*Ex quibus hæc rigido turba labore fodit.*
*Sunt preciosa magis, duo sunt mage pura metalla*

 *Aurum*

*Aurum atq; Argentum cætera non adeo;*
*Cætera non adeo preciosa, impura metalla,*
*Sunt preciosa minus, perniciosa minus;*
*Hic propè qui situs est ad rura Bohemica tractus*
*Noster, habet valles montibus umbriferis;*
*Hîc steriles veniunt saxosis montibus orni,*
*Pascuntur Capreæ, montibus atq; Capræ:*
*Intus habent montes curva sub valle recessus,*
*Sulphuris & calcis copia magna subest;*
*Viscosum capiunt vivacia sulphura succum,*
*Aura metalliferi est terrea plena soli,*
*Valles ardescunt, fatent cum sulphure fumi,*
*Ætna vaporifero qualiter igne furit;*
*Imis hinc latitat, ceu vena in corpore, terris*
*Vena medulla, soli haud vana metalliferi;*
*Imis summa* DEI *latitat sapientia terris,*
*Montosasq;* DEUS *ditat & auget opes,*
*Hæc montosa licet sint oppida; at apta Metallis,*
*Quæ bona Fossoris linea ubiq; refert.*
*Hinc benè de rivis, de vallibus atq; metallis*
*Plurima in his terris oppida nomen habent:*
*In quorum medio, ceu Phosphorus emicat orbe*
*Æthereo, posita est fervida* THERMIPOLIS,
*Sulphure quæ vivo nigroq; bitumine fervet,*
*Quæ calido calidam in sulphure fumat aquam.*
*Unde sed est Thermis medicandi tanta facultas?*
*Unde salutiferum tam medicamen habent?*
*Unda suam morbis medicandi mirificam vim*
*Ex terris, per quas prosilit, unda, capit,*

Sul-

Sulphure & igne intus loca sunt succensa latente,
Sulphuris & Calcis vim simul intus habent,
Non aliter quàm per cineres hinc inde coactos
Cum colantur aquæ lixivium acre venit;
Ex cinerum quod materie vim concipit acrem
Lintea qua fiunt, corpora, niunda magis,
Labitur et labat occultè medicabilis unda,
Vnda latenter inest vallibus, unde salit;
Per loca si Thermæ salsa ac nitrosa feruntur,
Quæ calcis multum pingve bitumen habent,
Et quæ calce calent, quæ per loca sulphuris extant,
Quæq; per argillosa & fervida rura cadunt;
Harum undæ vires dant materias & easdem,
Cum succo simili cumq; sapore pari. (fumat,
Sulphure THERMIPOLIS hæc nostra bitumine
Cui CAROLUS QUARTUS nomina certa
Cujus aquæ assiduo nobis fervore calescunt, (dedit,
Depola quâ gelidis perfluit amnis aquis,
Quæ posita est montes inter vallesq; profundas,
Sulphuris & calcis copia dives adest;
Est natura loci situs urbis & aëris haustus
Commodus, & vallis curva salubris adest;
Quæ sibi concessa est non omni gratia venit
Vrbi, THERMARUM nomen ad astra volat,
Sulphureas homini venit hinc medicina per undas,
Morborum varios discutit unda modos:
Si quem cura vocat venienti occurrere morbo,
Morbida dat tepidis membra laventur aquis;
Si qua subest genio corpus recreare voluptas,

Tunc quis ab ingenito balnea fonte bibit;
Gratius ex calido THERMARUM fonte bibuntur,
Ad numeros vivis pocula pota ab aquis;
Cum labor atq; dolor naturæ frangere leges
Assolet, has medicas imbibit æger aquas;
Consulit ægrotis angusto tempore membris;
Fons validas calidus qui benè mittit aquas,
Debilibus robusta suo discrimine prosunt,
Unda fluens valida & noxia membra levat;
Qui cupit ad monitus committere corpora thermis,
Is corpus melius per sua vota trahit,
Reddunt consvetam Bajæ in sua vota salutem
Et meliore frui corpora sorte sinunt;
THERMIPOLIS, domus est vitæ, nutrixq; bonorum,
Apta ferunt veris tempora rebus opem;
Namq; valetudo est rutilo preciosior auro,
Hac lota ac pota quæ reparatur aqua;
Intolerabilius nihil est quàm corpore morbus
At nihil his thermis est tolerabilius:
Nil juvat argentum, nil pondera divitis auri,
In prece sub precio est nostra salubris aqua.
Ruris & ætatis decus indelebile nostræ est,
Unda tepens sanum corpus & ossa facit.
Omnes humanos levat hæc tepida unda dolores,
Qui quoq; per longas invaluêre moras,
Potando quædam fieri meliora videmus,
Corpora, quæ medica non reparantur ope,
Aëra pestiferum purgant morbosq; fluentes
Unda vaporifera & terra metallifera;

Atto-

*Attenuant acres corpus miſerabile morbi,*
*Bajarum unda tepens quos facilè extenuat;*
*Frigus & humor agunt agitent ut corpora morbi*
*Ut valeant eadem fervor & humor agunt;*
*Ergo petunt Thermas Myſij Boij atq; Poloni*
*Et Sueci & Suevi Saxon & Auſtriacus,*
*Et Carni & Catti, Franci Cimbri atq; Cheruſci*
*Nariſci & Norici tum Bavari & Batavi.*
*Per varios tractus tendant per opaca viarum*
*Huc huc ad Thermas ad loca ſana ſitas;*
*Balnea nam calidis quærunt ſudantia Thermis,*
*Commutunt tepidis debile corpus aquis;*
*Veris & æſtatis repetunt ſua tempora morbo, ut*
*Corda leventur aquis, membra laventur aquis,*
*Balnea ſana placent Magnatibus atq; Dynaſtis,*
*Plebeiisq; viris balnea ſana placent;*
*Omnibus hoſpitio Thermarum tecta pateſcunt,*
*Nobilibusq; placent pauperibusq; viris.*
*Quando fugit macies penitus de corpore toto,*
*Quando vigor languet, pallor in ore ſedet,*
*Sulphureis homini venit hinc Medicina ſub undis;*
*Atq; redit membris, qui fuit ante, vigor:*
*Cum lateris cruciatus adeſt, cum febris anhela*
*Torquet, & ora ſatis torret amara ſitis;*
*Quando epulas ſtomachus ſolitas ſibi ſumere neſcit*
*Dulcis nec venit in lumina feſſa ſopor,*
*Quando nec herba valet, non ars ſucciq; potentes,*
*Cum nocet atq; necat frigoris aura potens*
*Huc huc ad Thermas varia regione viarum*

*Accele-*


*Accelerant dulces balneolasq́ petunt:*
*Qui porrigine sunt tacti prurigine tincti,*
*Qui scabie ac sanie tabeq́, fœda vomunt.*
*Lurida quem scabies, quem morbus regius urget,*
*Cordis quem macies urget & urit iners;*
*Quando vel intumuit suffusa venter ab unda,*
*Quando quis obstructis artubus æger adest,*
*Lividus aut morbus quem tangit & angit acerbè,*
*Cum jacet atq́ tacet viribus haustus homo,*
*Hac homines, undæ quâ vivo ardore calescunt*
*Suscipiunt longas per loca nota vias;*
*Maxima vis undæ est, modo justo tempore potâ*
*Ad numeros, natura ut sua quenq́ trahit,*
*Morborum varios hæc sublevat unda dolores,*
*Estq́ medela pedis. estq́ medulla manus.*
*Sæpe solent thermæ diuturnos pellere morbos,*
*Sæpe solent thermis plura subesse bona.*
*Dixerit at, quisquam:* Non hæc sunt consona vero;
*Fallitur indicio res bona sæpe suo;*
*Omnes non morbos levat hæc calida unda, secundos*
*Eventus semper nec sua vota tenent;*
*Hac licet ignota per tempora, in urbe quiescant*
*Morbosi, tamen haud membra levantur aquis;*
*Sunt qui per* Thermas *pallescunt morte peremti,*
*Queis magis exitio est unda, nec auxilio:*
*Scilicet hæc virtus divinitus insita* Thermis,
*Ut quos ipse* DEUS *vult, releventur aquis.*
*Ludit in his mirè divina potentia* Thermis,
*Quæ multis rigida ac frigida membra fovent:*

*Deu*

*Dent licet insolitam sæpe ad sua vota salutem*
*Baja, alia ex aliis in sua fata vocant.*
*Ægrum non sentit fomenta salubria corpus,*
*Ni* DEUS *his Thermis aptet & addat opem.*
*Si sedet ista Deo, stat & hæc si immota voluntas;*
*Dat meliore frui sorte, vel inde rapi:*
*Omne Deo factu facile est, (quod novimus omnes)*
*Qui genus ex Christi gente fidele sumus:*
*Non est in thermis semper relevetur ut æger,*
*Sæpe nocens calida plus valet humor aqua.*
*Et penes ut medicum non est, relevetur ut æger;*
*Sæpe Machaonia plus valet arte malum;*
*Nec semper penes est Thermas revalescat ut æger*
*Sæpe malum Thermis fortius esse solet;*
*Sæpe quis ignorat qua vi revalescere possit,*
*Hinc tribuit Thermis quod medicina negat.*
*Sæpe latet vis morbi occulta in corpore toto,*
*Vim contra mortis Therma nec herba valet;*
*Virgula sæpe homini aspirat divina salutem,*
*Dat paulatim aura liberiore frui:*
*Dante* DEO *tantum scabie vel tabe levantur*
*Qui lota ac pota hac rite fruuntur aqua:*
*Omnia divino nutu peraguntur in orbe,*
*Factis fata satis convenienter eunt;*
*Nec cuncti in Thermis qui ad tempora certa quiescunt*
*Tentantur morbis atq; dolore gravi;*
*Adveniunt Comites, Proceres veniuntq; Barones,*
*Nobiliumq; genus balnea sana petit;*
*Non tamen hi morbis omnes vexantur acutis;*

*Sæpe*

*Sæpe voluptatem propter adesse solent;*
*Quò se, quò proceres ducit studiosa voluptas,*
*Ad bona quæque solent limina ferre pedem:*
*Et quia Bajarum, sunt, balnea, grata voluptas,*
*Balnea principibus quis placuisse neget?*
*Balnea si qua placent, sunt therma tempore verno*
*Balnea amæna bonis balnea amica viris:*
*Corpore in humano discordi semine morbus*
*Atq; valetudo regnat ubiq; latens;*
*Pro sanis atq; ægrotis medicabilis unda est*
*Facta; in utrosq; bonum convenienter adest:*
*Sanus amat cupit æger aquas in utrunq; paratas,*
*Commoda utrisq; sui corporis apta ferunt,*
*Ægris ac sanis Thermarum est unda salutis,*
*Ægris ac sanis Fluminis aura favet,*
*Ægrotos Thermæ, fata ad meliora reservant*
*Suntq; voluptati his qui bene semper agunt;*
*Perpetuum hinc Thermis fama est speranda per ævum,*
*Thermarumq; volat nomen ad astra Poli.*



D. MI-

# D. MICHAELIS REUDENII JUDICIUM DE NOVO *Gummi purgante*, ad D. JOHANNEM ADAMUM *Schvvarzium Medicum Vinariensem.*

*S. D.*

VInariam te transtulisse familiam, Clarissime & Excellentissime Dn. D. Adfinis honorande &c. ibique praxin feliciter exercere Medicam non tantum è sermonibus quorundam in Thermis hausi, verùm quoq; literis utriusq; parentis, tuisq; nuper ad me datis, factus sum certior. Gratulationem igitur, & lætitiam meàm inde mente conceptam hac epistola Tibi prodo, cùm verbis, propter locorum distantiam coràm nulla detur occasio. Gratulor inquam lætus tibi hanc functionem ho-

neſtam,quam judicio amicorum in Academia,& conſiliariorum ſuffragio in illuſtri aula Te ſuſcepiſſe inaudio, Faxit numen ſupremum, ut hanc perſonam aptè & decorè ſuſtineas, ex Dei ipſius ſummi Archiatri gloria,Tua fama,uſuq; cunctorum ægrotorum ad Te confugientium. Certè ad Spartam hanc ornandam Tibi nec animi, corporisque vires, nec voluntatem deeſſe, ſat ſcio. Hoc tantùm voveo,ut conatus Tuos divinus Spiritus ſancti adflatus gubernet, atque dirigat ad tuæ publicæq; ſalutis commodum. Odium quorundam malevolorum quod attinet,confido te non mereri,& deterius de te judicandi nullã dediſſe cauſſam. Quod ſi ſiniſtri nonnunquam ſermones aures tuas feriunt, ſparguntúrque in vulgus verba parum decora, tantum non convitiis æquiparanda,cogita,quæſo,plurimorum ingenia ſic eſſe comparata, ut malè dicant, cum benè dicere non didicerint, talesque ventorum impetus ferendos, dum navigamus medium hoc mundi æquor,

Vixiſti

Vixiſti hactenus in Academia quietè, & pænè cum æqualibus ac doctis, quos adfectus linguamq; frænare docuerunt literæ humaniores. Alii autem ſunt mores populi illiterati, aliæque turbæ in aula, aut circa aulam, nec qui in ſcholis publicè legunt, aut diſputant in conſeſſu prudentum tam ſunt expoſiti cujusq; ſtulti injuriis, quàm qui Medicinam publicè faciunt, & officii ratione converſari coguntur cum imprudenti fæce vulgi, mulierculis naſutulis, & dicacibus, atque ſemper luctari cum ipſa multorum capitum belua. Tirocinium quidem in praxi tuum cum iſtis moleſtiæ aliquid habebit, ac faſtidii: ſed frontem & animum mox durabis, melioráq. Deus brevi hoc leniet, ut animo tráquillo ſuperes fortunam adverſam, locumq; cum dignitate aliqua tuearis. Mihi quidē ſimile quid accidit, tàm Jenæ, quàm hîc Schlackovvaldæ, cogorq; adhuc multa incommoda, præſertim in Thermis, pati ac perferre non ſolùm plebeculæ imperitæ dicteria, & muliercularū anilem loqua-

*Tunc quis ab ingenito balnea fonte bibit;*
*Gratius ex calido* THERMARUM *fonte bibuntur,*
*Ad numeros vivis pocula pota ab aquis;*
*Cum labor atq; dolor naturæ frangere leges*
*Assolet, has medicas imbibit æger aquas;*
*Consulit ægrotis angusto tempore membris;*
*Fons validas calidus qui benè mittit aquas,*
*Debilibus robusta suo discrimine prosunt,*
*Unda fluens valida & noxia membra levat;*
*Qui cupit ad monitus committere corpora thermis,*
*Is corpus melius per sua vota trahit,*
*Reddunt consvetam Bajæ in sua vota salutem*
*Et meliore frui corpora sorte sinunt;*
THERMIPOLIS, *domus est vitæ, nutrixq; bonorum,*
*Apta ferunt veris tempora rebus opem;*
*Namq; valetudo est rutilo preciosior auro,*
*Hac lota ac pota quæ reparatur aqua;*
*Intolerabilius nihil est quàm corpore morbus*
*At nihil his thermis est tolerabilius:*
*Nil juvat argentum, nil pondera divitis auri,*
*In prece sub precio est nostra salubris aqua.*
*Ruris & ætatis decus indelebile nostra est,*
*Unda tepens sanum corpus & ossa facit.*
*Omnes humanos levat hac tepida unda dolores,*
*Qui quoq; per longas invaluêre moras,*
*Potando quædam fieri meliora videmus,*
*Corpora, quæ medica non reparantur ope,*
*Aëra pestiferum purgant morbosq; fluentes*
*Unda vaporifera & terra metallifera;*

Allo-

Attenuant acres corpus miserabile morbi,
Bajarum unda tepens quos facilè extenuat;
Frigus & humor agunt agitent ut corpora morbi
Ut valeant eadem fervor & humor agunt;
Ergo petunt Thermas Mysij Boij atq; Poloni
Et Sueci & Suevi Saxon & Austriacus,
Et Carni & Catti, Franci Cimbri atq; Cherusci
Narisci & Norici tum Bavari & Batavi.
Per varios tractus tendant per opaca viarum
Huc huc ad Thermas ad loca sana sitas;
Balnea nam calidis quaerunt sudantia Thermis,
Commutunt tepidis debile corpus aquis;
Veris & aestatis repetunt sua tempora morbo,ut
Corda leventur aquis, membra laventur aquis,
Balnea sana placent Magnatibus atq; Dynastis,
Plebeiisq; viris balnea sana placent;
Omnibus hospitio Thermarum tecta patescunt,
Nobilibusq; placent pauperibusq; viris.
Quando fugit macies penitus de corpore toto,
Quando vigor langvet, pallor in ore sedet,
Sulphureis homini venit hinc Medicina sub undis;
Atq; redit membris,qui fuit ante,vigor:
Cum lateris cruciatus adest, cum febris anhela
Torquet, & ora satis torret amara sitis;
Quando epulas stomachus solitas sibi sumere nescit
Dulcis nec venit in lumina fessa sopor,
Quando nec herba valet,non ars succiq; potentes,
Cum nocet atq; necat frigoris aura potens
Huc huc ad Thermas varia regione viarum

*Accelerant dulces balneolasq; petunt:*
*Qui porrigine sunt tacti prurigine tincti,*
*Qui scabie ac sanie tabeq;, fœda vomunt.*
*Lurida quem scabies, quem morbus regius urget,*
*Cordis quem macies urget & urit iners;*
*Quando vel intumuit suffusa venter ab unda,*
*Quando quis obstructis artubus æger adest,*
*Lividus aut morbus quem tangit & angit acerbè,*
*Cum jacet atq; tacet viribus haustus homo,*
*Hæ homines, undæ quâ vivo ardore calescunt*
*Suscipiunt longas per loca nota vias;*
*Maxima vis undæ est, modo justo tempore pota*
*Ad numeros, natura ut sua quenq; trahit,*
*Morborum varios hæc sublevat unda dolores,*
*Estq; medela pedis. estq; medulla manus.*
*Sæpe solent thermæ diuturnos pellere morbos,*
*Sæpe solent thermis plura subesse bona.*
*Dixerit at, quisquam: Non hæc sunt consona vero;*
*Fallitur indicio res bona sæpe suo;*
*Omnes non morbos levat hæc calida unda, secundos*
*Eventus semper nec sua vota tenent;*
*Hæc licet ignota per tempora, in urbe quiescant*
*Morbosi, tamen haud membra levantur aquis;*
*Sunt qui per Thermas pallescunt morte peremti,*
*Queis magis exitio est unda, nec auxilio:*
*Scilicet hæc virtus divinitus insita Thermis,*
*Ut quos ipse* DEUS *vult, releventur aquis.*
*Ludit in his mirè divina potentia Thermis,*
*Quæ multis rigida ac frigida membra fovent;*

*Deu*

*Dent licet insolitam sæpe ad sua vota salutem*
*Bajæ, alia ex aliis in sua fata vocant.*
*Ægrum non sentit fomenta salubria corpus,*
*Ni* Deus *his Thermis aptet & addat opem.*
*Si sedet ista Deo, stat & hæc si immota voluntas,*
*Dat r eliore frui sorte, vel inde rapi:*
*Omne Deo factu facile est, (quod novimus omnes)*
*Qui genus ex Christi gente fidelè sumus:*
*Non est in thermis semper relevetur ut æger,*
*Sæpe nocens calida plus valet humor aqua.*
*Et penes ut medicum non est, relevetur ut æger;*
*Sæpe Machaonia plus valet arte malum;*
*Nec sempe penes est Thermas revalescat ut æger*
*Sæpe malum Thermis fortius esse solet;*
*Sæpe quis ignorat qua vi revalescere possit,*
*Hinc tribuit Thermis quod medicina negat.*
*Sæpe latet vis morbi occulta in corpore toto,*
*Vim contra mortis Therma nec herba valet;*
*Virgula sæpe homini aspirat divina salutem,*
*Dat paulatim aura liberiore frui:*
*Dante* Deo *tantum scabie vel tabe levantur*
*Qui lota ac pota hac rite fruuntur aqua:*
*Omnia divino nutu peraguntur in orbe,*
*Factis fata satis convenienter eunt:*
*Nec cuncti in Thermis qui ad tempora certa quiescunt*
*Tentantur morbis atq; dolore gravi;*
*Adveniunt Comites, Proceres veniuntq; Barones,*
*Nobiliumq; genus balnea sana petit;*
*Non tamen hi morbis omnes vexantur acutis,*

*Sæpè*



# D. MICHAELIS REVDENII JUDICIUM DE NOVO Gummi purgante,

ad

D. JOHANNEM ADAMUM Schvvarzium Medicum Vinariensem.

S. D.

VInariam te transtulisse familiám, Clarissime & Excellentissime Dn. D. Adfinis honorande &c. ibique praxin feliciter exercere Medicam non tantum è sermonibus quorundam in Thermis hausi, verùm quoq; literis utriusq; parentis, tuisq; nuper ad me datis, factus sum certior. Gratulationem igitur, & lætitiam meam inde mente conceptam hac epistola Tibi prodo, cùm verbis, propter locorum distantiam coràm nulla detur occasio. Gratulor inquam lætus tibi hanc functionem ho-

neſtam,quam judicio amicorum in Academia,& conſiliariorum ſuffragio in illuſtri aula Te ſuſcepiſſe inaudio, Faxit numen ſupremum, ut hanc perſonam aptè & decorè ſuſtineas, ex Dei ipſius ſummi Archiatri gloria,Tua fama,uſuq; cunctorum ægrotorum ad Te confugientium. Certè ad Spartam hanc ornandam Tibi nec animi, corporisque vires, nec voluntatem deeſſe, ſat ſcio. Hoc tantùm voveo,ut conatus Tuos divinus Spiritus ſancti adflatus gubernet, atque dirigat ad tuæ publicæq; ſalutis commodum. Odium quorundam malevolorum quod attinet,confido te non mereri,& deterius de te judicandi nullã dediſſe cauſſam. Quod ſi ſiniſtri nonnunquam ſermones aures tuas feriunt, ſparguntur que in vulgus verba parum decora, tantum non convitiis æquiparanda,cogita,quæſo,plurimorum ingenia ſic eſſe comparata, ut malè dicant, cum benè dicere non didicerint, talesque ventorum impetus ferendos, dum navigamus medium hoc mundi æquor,
Vixiſti

Vixisti hactenus in Academia quietè, & pænè cum æqualibus ac doctis, quos adfectus linguamq; frænare docuerunt literæ humaniores. Alii autem sunt mores populi illiterati, aliæque turbæ in aula, aut circa aulam, nec qui in scholis publicè legunt, aut disputant in consessu prudentum tam sunt expositi cujusq; stulti injuriis, quàm qui Medicinam publicè faciunt, & officii ratione conversari coguntur cum imprudenti fæce vulgi, mulierculis nasutulis, & dicacibus, atque semper luctari cum ipsa multorum capitum belua. Tirocinium quidem in praxi tuum cum istis molestiæ aliquid habebit, ac fastidii: sed frontem & animum mox durabis, meliorq. Deus brevi hoc leniet, ut animo tráquillo superes fortunam adversam, locumq; cum dignitate aliqua tuearis. Mihi quidẽ simile quid accidit, tàm Jenæ, quàm hîc Schlackovvaldæ, cogorq; adhuc multa in commoda, præsertim in Thermis, pati ac perferre non solùm plebeculæ imperitæ dicteria, & muliercularũ anilem loqua-

cavi. Facit pro meæ sententiæ confirmatione tota istius auctoris descriptio diligenter examinata, uti è consideratione nominis, qualitatum, Doseos & operationis satis superque adparet. Verba dicti auctoris hæc sunt:

## GVMMI AD PODAGRAM:

Dabat mihi idem Episcopus Gummi genus (cujus arborem non poterat describere) ex eodem continenti delatum, quo se podagrici istic purgant in hunc modum: Illius Gummi fragmentum nucis ponticæ magnitudine, stillatitio aquæ liquore noctem integram macerant, postridie mane percolant, & exprimunt, eam aquam ad duas uncias hauriunt, neque quidquam cibi sumunt ante meridiem: eo medicamento sine molestia purgatur hu-

mor, qui podagram creat. Insipidum est, & inodorum. Calidum videtur in primo gradu. Hactenus ad verbum Monardes. Nomen quidem genericum est Gummi. Competere hoc nostro medicamento nemo, qui illud contemplatus est, negabit. Cur nominetur autem Gummi Gittæ, me hactenus latet. Alii Gummi de Peru vocant, quo solum natale exprimitur. Carthago enim, cujus civitatis Episcopus illud Nicolao Monardes dedit, sita est in provincia Peru novi orbis. Inter qualitates licet coloris flavi nulla ab auctore fiat mentio, tria tamen ipsi ab eodem tribuuntur, ex quibus non obscurè judicare possumus. Nimirum esse illud Gummi insipidum, inodorum, & calidū in primo gradu. De prioribus duobus judicant exactè gustus & odoratus. Atque hæc est caussa, quod à virginibus, mulierculis, & aliis delicatis ægrotis, qui ab aliorum medicamentorum certo sapore & odore præditorum usurpatione ab-

ne ab-

ne abhorrēt, tàm enixè expetitur. Temperies in primo caliditatis gradu consistens facilè quoq; probatur. Cùm enim sapores & odores sequantur temperamentum; in his autem qualitatibus nullus sit manifestus à temperie excessus, qui quidem sensibus notari queat, certum est quoque temperiem primarum qualitatum vel esse æqualem, vel in primo saltem gradu ab æqualitate desciscentem, ac non admodum sensibilem. Dosis nostri medicamenti apud me est granorum quatuor, quinque, sex, septem. Expetis exempla? Primùm Anno 1611. 9. die Novemb. exhibui ipse (anteà enim à D. Adamo Bruxio Medico Chymico Halensi sagacissimo propinari videram) aurigæ Magnifici Domini Balthasaris Poremski Poloni, homini robusto, hujus gummi grana quatuor in pulverem redacta, & conservæ rosarum recentis semunciæ permista, qui septies inde alvum exoneravit copiosissimè. Eodem tempore Thermis utebatur Nobilis Eques Francus

rendo Domino Abbati Töplensi, cujus cum honore nomen usurpo, cæterisq; monasterii conventualibus exhibui sæpissimè, qui de ejus operatione felicissima testari possunt, nullusq; eorum gravia illa symptomata, de quibus nonnulli Medici veterum nimii lenones, ac novorum inventorum hostes, tantis clamoribus conqueruntur, animadvertit. Propinavi autem, uti dixi, grana iiij. v. vj. vij. in vehiculo ægrotanti grato, & adfectù adpropriato: quamvis, quin ad grana octo nonnunquam adscendēdum sit, in robustioribus præsertim, qui non facilè aliàs purgantur, aut in iis, quibus humor peccans à partibus remotioribus ducendus, neutiquam negaverim. Consentientem habes in hac dosi virum doctissimum D. Johannem Ingolsteterum Medicum Ambergensem, qui in literis superioris anni 13. die Augusti ad me scriptis adserit, se cum collegis D. Johanne Rosa, & D. Johanne Georgio Agricola, usum esse hoc Gummi

propterea major quantitas ad infusionē & decoctionem, quam exhibitionem in substantia requiratur. Sic foliorum senæ dosis in substantia, secundum Averrhoem, constituitur à drachma una ad sesquidrachmam, aut etiam duas; ad decoctum autem sive infusionē drachmæ quatuor vix in robustioribus sufficiunt. Præterea operationem Monardes huic Gummi adscribit, quod eo sine molestia purgetur humor, qui podagram creat, unde & nomen ipsi indidit, ac Gummi ad Podagram nominavit. Quam operationem à nostro medicamento non esse remotā ut ostendam, diligenter notandum venit, duplicem concurrere ad podagram aliasque arthritidis species caussandas materiā. Quamvis enim humores tres, bilis, pituita, melancholicus succus, si à naturali tēperie abeūt, idonei sint, ut dolores arthriticos inferāt: attamen inprimis duo posteriores, à quibus frequētius dolores proficiscūtur, cōfertim ad membra non

fluunt,

Töplensis adhibet, bellè vivit, rarissimeque insultus hostis sui, eosque non tam vehementes, ut antea, experitur.

Animadvertitur hoc etiam in aliis adfectibus morbificis à serosis, & tenuibus ichoribus productis. Ipse testari possum, quod, cum ante annum erysipelate laborarem in dextro femore, hujus medicamenti adsumtione multum fuerim adjutus. In hydropis specie Ascite cum fructu usurpavit D. Ingolsteterus, qui in epistola anteà citata scribit, quod serum in Ascite redundans copiosè, & absque molestia eduxerit. Confirmavit nimirum id, quod antea adseveraverat in Thermis nostris Carolinis coràm Medicus valdè rationalis D. Leonartus Doldius p. m. Idem alii plurimi fatentur. Opinatus est non nemo hoc Gummi esse succum resinosum è Rhabarbaro recenti artificiosè extractum. At ego hanc opinionem amplecti non possum. Reclamat locus natalis. Rhabarbarum in Troglosytica regione, vel

rectius in Chinarum regno Indiæ orientalis provincia maxima, aut vicina regione barbara Tartarorum nafcitur, unde vel Alepum Afiæ defertur, inde Alexandriam Ægypti, & tandem Venetias, unde Germania, & cætera Europæ regna petunt: vel per Armufiam à Lufitanis Ulyffiponæ importatur, unde à Belgis, & Hamburgenfibus, aliisque civitatibus Hanfeaticis nobis communicatur. Gummi autem Gittæ ad nos mittit regnum Peru Americæ, five occidentalis Indiæ provincia, ex qua Hifpanorum opera & induftria id adquirunt Officinæ noftræ. Etfi autem Monardes hiftoriæ fuæ fimplicium novi orbis libro 3. Indici cujusdam Rhabarbari expreffam mentionem facit, eique omnes notas attribuere videtur, quas orientale Rhabarbarum obtinet: tamen rationi haud eft confentaneum & radicem amariffimam fundere fuccum planè infipidũ, & è medicamento ex mediocriter purgantium claffe gummi tantæ activitatis eli-

ci, ut

ci,ut ejus quatuor, quinque grana plus, quàm in substantia duæ vel tres drachmæ operentur. Succi certè è Rhabarbaro chymicè extracti summa diligentia semidrachma ad purgationem requiritur. Addo & hoc, neminem succū gummi referentem in Rhabarbaro observasse. Quod si maximè inesset, extrahi è radice in terra latitante non posset. In effossa autem nulla vulnerationis aut alterius passionis animadvertuntur signa, quæ Gummi aut resinam exsudasse indicarent. Quid quod ipse Monardes in observationibus perspicacissimus, plantam Rhabarbari sui occidentalis cum ea, quæ Gummi fundit, eandem esse non animadvertit, imò potius hanc arborem esse expresse scribit, licet eam, quantum ad propriam figuram, non describat. Eodem ferè modo refutandus eorum error, qui hoc Gummi ex Euphorbio nescio quo præparationis ingenio depurato, derivant. Te igitur his perlectis, & benè pensiculatis à mea sententia, quæ, à Monarde nostrum

Gummi

recensere norunt, summa felicitate absolutarum, promittuntq; multa ad morbos specifica. Sed omnia ferè aut hyperbolica sunt, aut planè conficta ad homines imperitos & credulos decipiendos, unde illis nunquam, vel jurantibus, fidem adhibui. Nec medicamenta ab illis præparata in usum traho, cum pauci sint verarum præparationum gnari, plurimi autem pro summis magisteriis è metallis perfectissimis, & lapidibus preciosis elaboratis, ægrotis nescio quid obtrudant, ex Antimonio, argento vivo, vitriolo, sulphure, & talibus, quæ perfectionem nondum attigerunt, eosque præcipitent sæpissimè in mala graviora, & incurabilia. Utinam aliquis imitaretur Francisci Valleriolæ, qui mihi in hoc scribendi genere præ cæteris placet, industriam, ac diligentiam, atq; Galenicis medicamentis in observationibus substitueret Magisteria & extracta varia Chymica propria experientia comprobata, ut de horum usu, legitima & justa dosi juniores practici redderen-

 tur

tur certiores? Memini D. Martinum Rulandum Secundum, penes quem multa aliis incognita secreta è laboratorio Cæsareo Rudolphino ipsi concredita fuisse certus sum, tale quid mihi, cum ante triennium unà curaremus illustrem quendam Baronem, certò promittere. Verùm post ipsius inopinatam, ac immaturam mortem, hic quoq; conatus evanuit. Non dubito, quin alii brevi sint in arenam hanc descensuri. Tu, qui jam dudum finem epistolæ attingere gestis, ignosce prolixitati, ac vale, tuamq; uxorem à me meaque fraternè saluta.

Schlackovvaldæ 10. Februarii 1613.

*F I N I S.*

